Boleslauien. Radon.
CAPITAN
Domino suo munific
AVTHOR Felicita

SCIO, ILLVSTRISS
mine, Religionem Cat
sanguine meliùs quàm atramen-
to [illegible] otque iam Heroum
la[illegible] tam probatamq;
esse, ut pudor [illegible] bis tueri vel-
le, quam vitâ [illegible] ima consigna-
runt. Absti[illegible] n haud potui,
quin æterna [illegible]
quo me Deus O[illegible]
mulauit, memori[illegible]
ipso quantum Diuinæ c[illegible]

PP. Camaldulen. Insula Vigren.

[illegible]

[...]mus. Mihi certè au[...]ium esse [...]oterit Aulam hanc Tuam benigniùs [...]spici, quando ibi cælestis ille mihi ra- [...]quem Catholicam veritatem Luthera- [...]nitatem dispicerem, affulsit: quasi vni [...] viuere sine luce in tam Illustri Domo nefas [...]et. Beatum sanè obsequium Tibi atque Illu- [...]rissimis STANISLAO *Wielunensi Capita-* *neo, &* SIGISMVNDO *Filiis Tuis, Dominis [...]is præstituam, cuius [...]ne in verã filiorũ Dei & Eccles[...] [...]tem! Quid non ab hoc [...] [...]mus sub sole [...] populus ex[...] [...]tò inusita- tum ali[...] [...]aria cum [...] [...]tulis cùm [...] [...]n indoles [...] [...] seruitia [...] [...]ter pro- [...] [...]tiam ta- [...] [...]unatum di- [...] [...]em, quo*

tis Catholicæ lucem acceſsi! Verum illud longè mihi etiam commodiùs euenit, vt huiuſce Fidei ac Religionis propugnatio Tibi *potiſsimùm, ILLVSTRISSIME DOMINE, ſacra eſſet, pro qua prudentiam & auctoritatem in Senatu, vires & vitam in bello toties opponis. Non potuit firmioribus præſidiis aut exilis niti facundia, aut ipſa communis Religionis defenſio communiri. Habet iam experimentum Orbis: nullos eſſe Reipub. meliores quàm Rei Chriſtianæ Principes: nec aliis penè Cultoribus vti Reges, alijs Deum: vt Tuam ILLVSTRISSIME DOMINE, in Reges Poloniæ fidem & obſeruantiam mirari non debeant, qui cognouerint in Deum ac Diuina pietatem. Itaque non dubitaui hanc pro Fide vera dimicationem Auſpice Te ac Præſide ſubire, cùm eum* Te *eſſe intelligam qui gladio iſta meliùs & auctoritate, quàm ego ſtylo & diſcurſibus peragere poſsis & ſoleas. Neque erit, ſpero, qui contentionem*

...am, ac Religionem.
...ius te Superi unà cum Illustrissima prole
diutissimè seruent incolumem.

... Lectori S.

ARGVMENTO libelli huius inspecto scire forsan voles, qui homo sim, & quo consilio ad hæc scribenda impulsus; de vtroq; sic habe. Ab Illustriss. ac Celsiss. Principe FRIDERICO Curlandiæ ac Semgalliæ in Liuonia Duce Domino meo Clementissimo, post Studiat Regiomonti aliisq; in locis pertractata, in hasce partes, Iuris accuratiùs perdiscendi causâ, missus Fidem & Religionem, quam à parētibus & institutoribus accepi, mecum attuleram cum illa redire certus, vel pro illa, si necessitas foret, occumbere, ita mihi Euangelium Lutheri clarum ac illime videbatur. Sed euenit Doctrinæ illi, quod ligno putido & carioso solet: in angulo & tenebris lucere visa, hîc in Catholicæ Fidei luce omnem penitùs fulgorē nitoremq; amisit. Posteaquam enim prouidentia Dei singulari Illustriss. Comes à DONHOFF Palatinus Siradień ad obsequia literaria Illustriss. Filiis suis præstanda me perhumaniter admouit, cùm eorum cōsuetudine, tum assidua rerum Catholicarum inspectione & examinatione quasi detracto velo discussaq; nebulâ vanescere paulatim Lutheranismus, Fideique Catholicæ pura lux oboriri cœpit. Ecclesiæ nimirum Orthodoxæ sanctitas & ipsâ antiquitate suâ venerabilis, & ritu cultuq; longe alia, quàm Lutherani eam sibi fingunt, hoc est, verè Christiana, verè Apostolica mirifice oculos ad sese rapiebat: nec poteram cogitare non sanctam esse doctrinam, quæ sanctos mores gigneret. Inde ad Lutheranorum mores hisce moribus, dogmata dogmatibus, auctoritatem auctoritati opponendam versus ...
cum ipse perdius & pernox, multa cum aliis disse...
voluendo ac reuoluendo statuere tandem ...
spectu Dei maturè soliciteque discussa ve...
mæ meæ potiùs quàm humanis rationi...
facilè aduerto, quos in Patria mea de...
hæc res datura sit, rationem facti h...
eapropter adhibui simplicem &...

tas delectatur: modestu
trouersias agitare, quàm Co...
situm est: deniq; fidum in alleg...
constátem, quia fallacias cum in omn...
odi. Fateor verò me in hoc negotio secundum Diuinam gratiam
præcipuè adiutum non modò scriptis variis doctissimorum virorum
atq; inprimis R. P. Martini Becani Societatis IESV Theologi; sed
etiam colloquiis & dissertationibus cum nõnullis ex eadé Societate
persæpè habitis; quorum sanè vitam & doctrinam ij tantùm non sa-
nam & sanctam iudicant, qui nunquam propiùs inspexêre. Cæterũ
libellus iste cùm meâ vnius operâ compositus sit, veniam (spero)
merebitur, si non ea facultate polleat, quam veteranus aliquis Ca-
tholicus ipsi adferret; aut si more apum nõnunquam libauimus ex
alienis: imò hinc potiùs curam & laborem in veritate perquirenda
non leuem prudẽs Lector facilè æstimabit. Atq; vtinam hæc eo ani-
mo legantur à Sympatriotis meis quo scripta sunt, hoc est syncero
& recti amante, non diffiderem permultos in eandem viam, per quã
scilicet tot ante Lutherum seculis ambulauerũt Maiores nostri, vnà
mecumredituros. intelligere certè possunt, me non aliqua spe ter-
reni lucri aut pereuntium commodorum hoc iter in cuiusquã mor-
talis gratiam iniisse: neq; enim tam fatuus sum, vt res caducas emã
dispendio æternarum; quinimò & reditum in Patriam, & aditum
ad quosuis honores ipse mihi hac ratione præclusi; egressusque sum
de domo mea, & de cognatione mea, & de domo Patris mei, vt nu-
dus nudum Christum sequar. Attamen vel sic extorris & omnium
terrarum hospes nõ potero non identidem respectare in Patriam, &
oculis rorantibus pro Illustriss. Principe Friderico Domino mihi be-
...imo, proq; vniuersis tribulibus meis cõmunem Dominũ
...illis Psalmistę verbis orare: *Emitte lucem tuam, &*
...*e deduxerunt & adduxerunt in montẽ sanctũ*
...*ua.* Hæc te, mi Lector, scire volui. Vale
...neunte Septembri, Anno Dñi 1635.

RATIO PRIMA

PETITA EX

Capite Ecclesiæ Catholicæ, & ἀκεφαλία Lutheranæ Hæreseos hoc modo:

Quæcunque Ecclesia regitur vno vero ac visibili capite sibi ab ipso Christo relicto, illa est vera Ecclesia.

Atqui Ecclesia Catholica Romana regitur vno vero ac visibili capite sibi ab ipso Christo relicto & proposito.

Ergo Ecclesia Catholica Romana est vera Ecclesia.

Quemadmodum è contrario.

Jlla Ecclesia quæ est ἀκεφαλὴ seu nullo vero ac visibili capite regitur, monstrosa ac

censetur.

Sed talis est Lutherana quæ e

vero ac visibili capite regu

Ergo Ecclesia Lutherana

In maiore pro[illegible]

tissimum euenunt.

1. *An sit tale caput visibile Ecclesiæ vel esse debeat, aliâs enim Non Entis nulla foret Disputatio.*

2. *Quodnam fuerit?*

3. *Num hodie Pontifex Romanus sit visibile Caput Vniuersalis Ecclesiæ & verus Petri successor*: Quibus elucidatis infallibiliter patebit consequentia Antitheseos videlicet Lutheranam pseudo-Ecclesiam, quæ Caput tale non agnoscit, erroneam esse.

Primum, quod sit caput visibile Ecclesiæ, & esse debeat, probatur primò Authoritate Christi, qui duplici modo visibili & inuisibili, dum in hac vita versaretur, Ecclesiæ caput extitit. Inuisibiliter quidem quoad influxum Donorũ spiritualium & gratiæ: visibiliter per externam directionem & visibilem gubernationem: Sacramenta instituendo, Discipulos vocando, Apostolos ordinando, legem Euangelicam sanciendo, prædicando, hortando, increpando, tot miracula faciendo. Priori modo Christum Caput Ecclesiæ, non solùm dum in terris degeret fuisse, verùm etiam Post Ascensionem gloriosam mansisse, adhuc esse, & ad finem mundi permansurum esse, probat ipse *Matth*: 28. *v*. 20. dum inquit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad cõsũmationem sæculi.*. Posteriori modo videlicet per externam [illegible]onem Christus post Ascensionem desiit esse ca[illegible] Ecclesiæ, nec amplius eam visibiliter re[illegible]nus Tract: 50. in Ioannem prope finem; [illegible] *Maiestatis semper habemus Christum secun*[illegible] *rectè dictum est. à Christo Discipulis: Me autem*

ouit enim illum Ecclesia secundùm
us paucis diebus, modò fide tenet, oculis non vi-
det. cùm Deus in omnibus aliis nobiscum non agat ἀμέσως verum ἐμμέσως, necessariò post se relinquere voluit Vicarium suum, cui visibile illud Regimē Ecclesiæ demandare posset, ne videlicet ἀκέφαλος tanquam monstrum seu abortus quidam sine capite visibili relinqueretur.

Secundò, Caput visibile Ecclesiæ esse debere probatur ex Analogia Synagogæ Iudaicæ, quæ fuit vmbra seu typus tantùm Ecclesiæ Christi, at Synagoga semper fuit gubernata ab vno visibili capite nempe à Pontifice Maximo, cui reliqui omnes subiacebant. Vnde colligo à minori ad maius. Si Synagoga tanquã vmbra & typus Ecclesiæ Christi fuit gubernata ab vno visibili capite adeòq; Monarchico Regimini tanquam perfectiori subiacuit (quamuis etiam inuisibili capite Christo per internum influxum gratiæ gubernaretur) multò magis Ecclesia Christi tanquam perfectior. Prius supra probatum; sequitur ergo posterius.

Tertio. Ex similitudine Regnorum Politicorum. Quēadmodum enim Rex etiam extra Regnum constitutus, quamuis per internum influxum omnia regat ac disponat, nihilominus tamen potest Vice Regem qui in ipsius absentia gubernationem Regni suscipiat, lites & controuersias decidat, relinquere. Exemplo potest esse Regnum Neapolitanum, cuius caput vnicum primarium est Rex His-niæ, secundarium verò & Vicarius est Vicere- sic Gustauus in Regno quod per vim sib- esset in Prussia & Germania Viceregen vt vocant Iacobum Pontum de La G ciæ relinquebat.

Idem patet ex regimine co-

caput proponitur Mulieri.
ditæ sint, sicut Domino, quoniam
sicut & Christus Ecclesiæ Caput. Hic vir mulieris caput dicitur. iam si quis inde colligere vellet, mulierem non habere caput proprium, fatuus esset. Lege si placet hæc prolixius disputantem Reuerēdum Patrem Martinum Becanum in Manual: Controu: lib: 1. cap: 4. de Capite Eccl: num: 27.

Quartò: Caput visibile requirit ipsa forma Ecclesiæ, talis enim debebat manere Ecclesię forma, qualis erat à Christo instituta; at Christus ante Ascensionem instituebat Regimen visibile sub vno visibili capite, imò ipse visibili modo eam regebat. ergo debebat tale manere. Alioquin mutatâ formâ (quæ dat esse rei) Ecclesiæ, etiam ipsa Ecclesia fuisset mutata, quod absurdum.

Deniq; necessitas idem efflagitabat, quod patet ex Anal. Synagogæ, cui semper præsidebat Pont: Max: qui omnes cōtrouersias legales, quæ erant maioris momēti, decidebat, *Deut:* 17. ℣ 8. erant quidem in singulis ciuitatibus constituti inferiores iudices, qui lites dirimebant, verùm quādo non poterant inter se conuenire, nec controuersias propter aliquam difficultatem decidere, necesse erat confugere Hyerosolymam, ad superiores iudices, quorum erant septuaginta, quibus Pontifex præsidebat, à quo appellari non poterat, sed eius sententiæ sub pœna mortis erat acquiescendum. Idem etiam statim post Christū obseruatum in praxi Noui Testamenti tempore & Apostolorum. Cùm enim controuersia inter nouos Christianos oriretur, num ij qui [illegible] suscipiebant, tenerentur ad Circumcisionem & im- [illegible]ium. Affirmabant à Iudaismo ad Christū [illegible]nt reliqui, decidebatur in Concilio Hye- [illegible]nctum Petrum indicto, eodemq; præsidente

tui sancto, & nobis, nihil ... *am hæc necessaria, vt abstineatis ab immolatis simulachrorum, à sanguine, & suffocato, & fornicatione.* Et hoc per modum decreti mittebatur ad omnes Christianos, nec solùm tempore Apostolorum, sed semper necessitate flagitante, ita in Catholica Romana Ecclesia praxis tenuit. Sic error *Nouatiani* asserentis, hominem post baptismum à peccatis absolui non posse, damnatus in Conc: Rom: sub *Corn: Papa Anno Christi* 255. *TesteBaronio.*

Error *Sabellij* statuentis vnam tantùm in Deitate personã, habentem tria officia Creationis, Redemptionis, & Satisfactionis, damnatus in *Concilio Alexandrino sub Syluestro Papa Anno Christi* 359.

Pariter damnatus *Samosatenus*, dicens Christum purum esse hominẽ in Synodo Antiochena, tempore *Dionysii Papæ Anno Christi* 266.

Ita *Arrius* negans Christum ab æterno, sed in tempore à Patre ex nihilo natum, non eiusdẽ, sed inferioris substantiæ damnatus in *Concilio Nicæno sub Papa Syluestro Anno* 325. Quas hæreseum damnationes, dum ritè & rectè factas approbant Lutherani, certè in iurisdictionem horum Pontificum consentiunt; quid ergo impugnant?

Similiter *Lutherus* hæresin suam orsus est Anno 1518. damnatus *in Concilio Tridentino* tempore *Leonis* x. *Anno Christi* 1519. plura exempla per interualla à tempore Syluestri Papæ vsque ad nostrum seculum qui expetit, legat Historias Ecclesiasticas, & Reuerendum Patrem Becanum in Manuali cap: 5. de Iud: contr:

Tandem si tale visibile caput & Gubern... nõ extaret, quis in officio cõtineret Epi... Doctores? quis vnitatem & concordia...

Hæreticos comprimeret? quis Schiſmata to
ſanctus Hieronymus: *inter duodecim Apoſtol*
tur, vt capite inſtituto Schiſmatis tollatur occaſio. Deinde qua-
les abſurditates & inconuenientiæ ex ἀκεφαλία proueni-
ant, Lutheranorum Eccleſia magis quàm manifeſtè demō-
ſtrat, quæ dum omnes in ea pari poteſtate præditi, nec vl-
lum ſuperiorem, cui parere teneantur, agnoſcunt, diſſenſi-
onibus, diſcordiis, atque contentionibus perpetuis flagrat,
nec eſt qui eos in ordinem redigere valeat. Vnde non ra-
rò vnus hanc, alter alteram, circa articulos fidei ſententiam
publicis ſcriptis tuetur: Teſtatur hoc Collegium *Ioānis Beh-*
mij Profeſſoris Theologiæ Regiomonti contra *Rathman-*
num. Item ſcripta & Diſputationes *Mouij* contra eundem
Behmum, & *Miſlentam* meo tempore ibidē vulgata, in qui-
bus ſe mirè & miſerè proſcindunt inuicem & lacerant: ſu-
premum Tribunal, Wittebergenſem Academiam, tanquam
Sedem quinti Euangeliſtæ agnoſcunt, in quam tamen ſi al-
tera pars conſentire noluerit, eam impunè reijcere poteſt.

Vnum eſt quod ad ſtabiliēdam veritatem circa hoc pun-
ctum præterire non poſſum: *Anno ni fallor 1624. in patria*
mea oriebatur cōtrouerſia de obſeruatione Calendarij Gregoriani
& Iuliani. Voluntas Sereniſſ. Regis piè defuncti Sigiſmundi III.
cui Illuſtriſſ. in Liuonia Curlandiæ & Semgalliæ Princeps Domi-
nus meus longe Clementiſſimus adſtipulabatur, erat hæc, vt tam
propter ſtyli conformitatem, quam propter alias quam plurimas
incommoditates euitandas Gregorianum Calendarium obſerua-
...potè ſecundùm quod omnes Prouinciæ Regno Po-
...iuerent, & acta ſua tàm in Spiritualibus quàm
...t. Hoc negocium in quantum obſeruatio-
...t ad ſua molendina Eccleſiaſtici trahe-
...t iuſſui Illuſtriſſ. Principis Superintē-
dens Cur-

[illegible] in vtraque Prouincia verbi Mini-stri. [illegible] vero non pauci. Donec tandem conciliabulũ omnibus Ministris indiceretur, in quo Superintendens totis viribus reliquos in suam sententiam adducere conabatur. Sed frustra. Pergebant diuersis viis. Superintendens cum asseclis suum Euangelium secundum Gregorianum: Reliqui suum secundùm Iulianũ, per aliquot annos, non sine maxima confusione & offensa incolarum, prædicabant. Denique verò cùm Superintendens contra refractarios se nihil efficere posse videbat, vtpotè medijs executionis, quibus contumaces ac sententiæ suæ parere nolentes coerceret destitutus, illorum opinioni acquiescere, de lite discedere, & Calendarium Iulianum resumere cogebatur. Quid enim voluntas sine effectu, sententia sine executione, aliud quam canis sine dentibus, & campana sine pistillo. Similia plurima afferre possem, si vel charta caperet, vel mihi rixas & tricas terere propositum esset. Ex dictis itaq; infallibiliter deducitur caput aliquod visibile veræ Ecclesiæ Christi militantis esse debere: Quemadmodum enim exercitus sine Duce Generali stragem facile patitur. Nauis sine Nauarcho naufragio obnoxia, Ouium grex sine pastore luporum dentibus expositus est: Ita quoq; militans Ecclesia Duce Generali visibili, nauicula Christi Nauclero, Grex fidelium Pastore carere non potest, nisi fortè Deus immediatè & supernaturaliter nobiscum agere vellet.

Sequitur secundum punctum Maioris nostræ probandum. Videlicet.

Quodnam fuerit tale Caput visibile, Pro cuius declaratione sic argumentor.

Cuicun-

Cuicunque soli & determinate in præsentia reliquorum omnium Christus Pasturam, seu iurisdictionem vniuersæ Ecclesiæ commisit, quique illam exercuit, præterea à sanctis Patribus pro Vicario Christi habitus, & ab omnibus Christianis pro capite Ecclesiæ agnitus: ille fuit verum caput visibile Ecclesiæ vniuersalis.

Atqui S. Petro soli & determinatè in præsentia reliquorum Apostolorum omnium Christus Pasturam, seu Iurisdictionem vniuersæ Ecclesiæ commisit, isq; illam exercuit. Præterea à sanctis Patribus pro Vicario Christi habitus, & ab omnibus Christianis pro Capite Ecclesiæ agnitus est.

Ergo sanctus Petrus Apostolus fuit verum Caput visibile Ecclesiæ vniuersalis.

Maior talis est, vt eam nemo impugnare valeat.

In minore quinq; probanda occurrunt.

1. *Num in præsentia reliquorum Apostolorum soli Petro curam & Iurisdictionem Ecclesiæ suæ Christus commiserit?*

2. *An indifferẽter vniuersalis Ecclesiæ Regimẽ ei demãdauerit?*

3. *An per Pasturam visibilis Iurisdictio & Regimen intelligatur?*

4. *An Petrus eam Iurisdictionem exercuerit?*

5. *An sanctus Petrus à Sanctis Patribus & tota Christianitate pro Vicario Christi & capite Ecclesiæ agnitus fuerit: quæ omnia ordine breuiter sic probo:*

Primùm patet manifestè ex diuersis scripturæ locis præsertim ex Cap. vlt. Ioannis, vbi Christus in congregatione omnium Apostolorum paulò ante gloriosam resurrectionem per ternam Interrogationem & Responsionem soli Petro Pasturam ouium suarum demandauit, dum inquit: Petre amas me? & ipso respõdente: Domine, tu scis quod amem; cõmittit ipsi Ecclesiæ suæ curam his verbis: Pa-

... neas. Eleganter hoc explicat Bernhardus lib: 2. de Co...deratione ad Eugenium Papam dum inquit: *Tu es cui oues creditæ sunt, sunt quidem & alij gregum Pastores, sed tu tantò gloriosius, quantò differentius præ cæteris Nomen hæreditasti. habent illi sibi aßignatos greges, singuli singulos tibi vniuersi crediti, VNI VNVS, nec modo ouium, sed & Pastorum tu vnus omnium Pastor. Vnde hoc probem, quæris? Ex verbo Domini. Cui enim, non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolutè & disertè totæ commissæ sunt oues: SI ME AMAS PETRE, PASCE OVES MEAS. Quas? Illius, aut illius populi Ciuitatis, aut Regionis, aut certè Regni? OVES MEAS, inquit. Cui non planũ est non designasse aliquas, sed aßignasse omnes? nil excipitur, vbi nihil distinguitur.* Hucusq; Bernhardus. Præterea soli Petro Ecclesiæ Regimen vniuersale commissum esse probatur exinde, quod quamuis Christus omnes suos Apostolos in fide sua stabiliuerat, tamen præcipuè Cathedræ Petri stabilitatem promiserat *Matth:* ℣ 18. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiã meam, & portæ inferorum non præualebunt aduersus eam, & tibi dabo claues regni cælorũ.* Deinde, solum Petrum prærogatiuam præ reliquis Apostolis habuisse, varia indicia ostendunt: Sic nomen ipsius in enumeratione Apostolorum primo loco ponitur. Christus suam resurrectionem omnibus Apostolis in genere, Petro verò, tanquam capiti, in indiuiduo annunciare iubet, dum inquit: Dicite Apostolis & Petro. Quodquè eidem primo loco apparuerit, Petrus tanquã antesignanus loco Apostolorum omnium sæpè locutus fuerit *Act:* 1 ℣ 16. *Act:* 2. ℣ 14. *Act:* 3. ℣ 13. *Act:* 4. ℣ 4. *& alia quàm plurima.*

Secundò, Petro indifferenter totius Ecclesiæ curam & Iurisdictionem demandatam fuisse innuunt illa verba OVES MEAS indeterminatè prolata. Quas? (inquit Bernhardus

hardus

hardus) dicto loco, Illius vel illius Ci
onis, aut certè Regni? Minimè. Cui p
signasse aliquas, sed assignasse omnes, nihil excipitur, vbi
nihil distinguitur. Et paulò superius: Habuerunt quidem
alij Apostoli etiam assignatos sibi greges singuli singulos, ti-
bi autem vniuersi crediti VNI VNVS, non modo ouium, sed
& Pastorum omnium tu vnus Pastor. Idem patet ex altero
scripturæ loco citato, qui pari modo indifferenter loquitur,
Supra hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: subintellige to-
tam non aliquam partem Ecclesiæ.

Tertiò, quod per Pasturam visibile Regimen & Iurisdi-
ctio externa intelligatur, patet ex ipsa analogia Pastionis.
Quemadmodum enim illa, non tantùm in pascendo grege
consistit, sed etiam ordinando, dirigendo & protegendo:
sic Pastura spiritualis, non solùm in pascendo grege fideliũ
verbo & Sacramentis continetur, verùm etiam in ordinan-
do & dirigendo ad vitam æternam, in protegendo aduersus
inuasiones luporum spiritualium. Et sicut pastor ouem
contagiosam, vel scabie confectam à reliquo cætu separat
& arcet, ne totus grex tali contagione inficiatur: Ita Pastor
œcumenicus scabie hæreseos vel contagione publici scan-
dali infectos excommunicationis vinculo innodat, & à gre-
ge fidelium separat, prout in Ecclesia Christi obseruatum
supra cõmemorauimus. Porrò idem probatur ex ipso Pri-
matu Petri, qui in nulla alia re nisi in uisibili Regimine con-
sistebat, quod ex inductione singulorum Donorum, quibus
Apostoli omnes claruerunt, colligitur. Non enim in vitæ
sanctimonia ipsius Primatus versabatur, siquidem omnibus
pariter die Pentecostes sanctus Spiritus missus erat, *& Ioan:
20. Christus omnes afflando dicebat. Accipite Spiritum sanctũ.*
Neque in Doctrina vel munere docendi: omnes enim pa-
riter ad

...endum Euangelium & propagandam Christi fidē .. missi erant: *Euntes docete omnes gentes.* Item. *Sicut me Pater misit, ita ego mitto vos.* Neque in sapientia & eruditione, quæ magis in Paulo ad Gamalielis pedes edocto, quàm in Petro Piscatore præsumebatur: Verùm omnis Primatus & prærogatiua ipsius consistebat in Iurisdictione, suprema inspectione, Regimine Ecclesiæ, & vniuersali omniũ ouium Christi Pastura. Minimè quidem negari potest etiam reliquos Apostolos à Christo potestatem & iurisdictionem Ecclesiasticã accepisse, imò quibusuis Episcopis & Ecclesiæ Pastoribus Pasturam ouium à Christo commissam esse *Act:* 20. ℣ 28. Vnde etiam Vicarij Christi & Pastores ouium apellantur. Inde tamen non sequitur illos parem potestatem & iurisdictionem cum Petro habuisse. Ratio est: Quia illorum potestas & iurisdictio se tantùm ad vnam certã aliquam & particularem Ecclesiam istius Prouinciæ, ad quam actu peruenerant, porrigebat. Petri verò Iurisdictio fuit vniuersalis Ecclesiæ, seu omnium particularium (quibus reliqui præerant) simul sumptarum: Ita, vt licèt ipsius Sedes & Cathedra Romę fixa esset, Regimen tamen & potestas se extenderet ad omnes particulares.

Quartò: Hanc iurisdictionē sanctum Petrum aliquot actibus quantùm per occasionem inter continuas persecutiones licuit exercuisse, ex sacris constat, & iam supra declaratum, videlicet: Quomodo ortâ inter nouos Christianos controuersia ad Concilium reliquos Apostolos Hyerosolymam vocauerit, eidem tanquã Caput præfuerit, nomine omnium Decretum pronunciauerit *Act:* 5. ℣ 28. pariter *Act:* 1. conuocatis Apostolis in locum Iudæ, alium Apostolum substituerit: Bona Neophytorum in commune collata ad ipsius, tanquam Apostolorum Principis, pedes repone-

reponebantur, vti expressè docet ex ... phyræ, in quo clarè Pontificia Petri a... Spiritus sancti assistentia eluxit *Act*: 5. Den..q, ... trum pro Capite Vniuersalis Ecclesiæ agnouerũt sancti Patres. *Nazian: in Epist: 32. lib: 4. ad Mauritium profitetur: Cunctis Euangelium scientibus liquere, Petro Apostolorum Principi totius Ecclesiæ veram curam commissam esse.* Sanctus Hieronymus lib: 1. contra Iouin: *Licèt super omnes Apostolos Ecclesiæ solidetur fortitudo, tamen propterea inter duodecim eligitur vnus, vt capite constituto schismatis tollatur occasio.* Idem vide in Epist: 13. Beatus Anselmus in cap: 6. Matth. *Ideo Petrũ Principem Apostolorum Christus instituit, vt Ecclesia vnum principalem Vicarium haberet*, & quàm præclarè hoc testatur B. Bernhardus, supra relatum: Taceo *Augustinum 6. lib: quæst. Noui & Vet: Testam: q. 25. Ambros: ad caput 24. Lùc. Chrysostom: Hom: 11. in Matth:* qui idẽ de Petro perhibent. Vno verbo: totus Christianus orbis Sanctum Petrum pro Vicario Christi semper habuit, dum passim Princeps nominatur & Coryphęus Apostolorũ, Caput Ecclesiæ, Pastor gregis Dominici, Pastor Pastorum. Hucusq; demonstratum est Caput visibile existere in Ecclesia Catholica: Secundò, Sanctum Petrum fuisse Caput Ecclesiæ: restat tertium punctum probandum.

An summus Pontifex Romanus verus Petri successor, atque adeò hodie sit visibile Caput Ecclesię Vniuersalis?

Pro cuius affirmatione sic concludo.

Is est verus Petri successor, atq; adeò hodie visibile Caput Ecclesiæ, cuius suc-

...acris literis fundata, qui suam Iurisdictionem ... successionis seriem ab ipso Petro deducit, & quẽ ... sancti Patres vno quasi ore eiusdem Petri successorem esse testantur.

Atqui summi Pontificis Romani successio in sacris literis fundata ipsius Iurisdictio per legitimam successionis seriem ab ipso Petro deducitur, & omnes sancti Patres vno ore eiusdem sancti Petri successorem esse testantur.

Ergo Summus Pontifex Romanus est legitimus S. Petri Successor, adeòq́ verum & visibile caput Ecclesiæ Catholicæ Vniuersalis.

Quod successio Petri in Sacris literis fundata sit; *Probatur,* Ex illo Christi: PETRE *rogaui pro te, ne fides tua deficiat:* quod non solùm personam Petri, sed in ipso omnes eius simul successores concernebat. Deinde *super* HANC PETRAM *ædificabo Ecclesiam meam*, ad sanctum Petrum quidem quòusque ipsius se vita extendebat, post mortem verò pari ratione ad eius successores pertinebat. Aliâs hoc sequeretur absurdũ: Ecclesiam Christi cum vita Petri desijsse. Iam autem *secundò* nullus Hæreticorum est, qui suæ hæreseos originem à Petro per legitimam & ordinariã successionem deducere possit; quod Catholicos, in Romanis Pontificibus facere & demõstrare omnes Historici & Annales fatentur, seriem qui expetit, inueniet eam in Corpore Iuris Canonici ab initio. Præterea Ordinem, Martyria, & res gestas singulorum per certas temporis & locorum circumstantias qui nôsse vult, videat Historiam Pontificum Romanor. *Deniq́* Romanum Pontificem legitimum sancti Petri successorẽ, vno ore omnes sancti Patres testantur. Quod patet inter alia, ex testimoniis *sancti Augustini Epistola* 165. *Si ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quantò certiùs, & verè salubriter ab ipso sancto Petro numeramus, cui totius Eccle-*

 siæ Catho-

siæ Catholicæ figuram gerenti Dominus ait: Super [illegible] *dificabo Ecclesiam meam: sancto enim Petro successit Li*[illegible]*, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euaristus, &c.*

Optati Mileuitani lib: 2. contra Parmenianum: *Sancto Petro successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, &c.*

Philippi Presbyteri in Concilio Ephesino Tom:2.c.16: *Nulli dubium, & imò seculis omnibus notum, sanctum Petrum Apostolum Principem & Caput Ecclesiæ Catholicæ fundamentum, per successores suos hucusq; semper viuere causasq; decernere, semper victurum esse Hucusq; itaq; ordinarius successor Papa Celestinus nos ad hanc Synodum misit.*

Diuus Bernhardus ad Eugenium loco supra citato expressè colit ac veneratur Eugenium Papam, tanquam legitimum sancti Petri successorem. Omitto reliquorum Testimonia, quorum memoriam retexere longum foret.

Tantùm abest, vt obiectiones quæ in contrariũ ab Hæreticis afferuntur diluendas putem: contra veritatem Ecclesiæ, nec inferorum portæ quidquam possunt, & istæ burræ quisquiliæq; ab aliis Doctoribus iam pridem euersæ. Cùmq; mei instituti non sit controuersias agere, sed rationem fidei reddere, me & lectorem fatigare supersedeo, & ad secundam rationem propero.

SECVN-

SECVNDA RATIO
PETITA EX
Infallibilitate Ecclesiæ Catholicæ Romanæ; incertitudine & fallibilitate Pseudo-Ecclesiæ Lutheranæ; hoc modo.

Quæcunq; Ecclesia nunquam errauit, nec errat, nec errare potest, illa est vera & infallibilis Ecclesia.
Atqui Catholica Ecclesia Romana nunquam errauit, nec errat, nec errare potest.
Ergo Catholica Romana est vera & infallibilis Ecclesia.

Quemadmodum è contrario.

Illa Ecclesia quæ errauit, errat, & errare potest, est fallax, incerta & falsa.
Atqui Lutherana errauit, errat, & errare potest,
Ergo Lutherana Ecclesia est fallax, incerta & falsa.

Maior caret omni dubio.

Minoris membra tria, videlicet, *Ecclesiam Catholicam nunquam errasse, nec errare, nec errare posse*, breuiter probanda.

Primo

Primum deducitur inde, quod ad hoc usq[ue] ... us, ... que error, neq; erroris author, vel tempus ab Hæret... demonstrari potuerit, in quo probando, miris modis se torquent. Lutherus ipse *Tom: 2. fol: 350. affirmat, statim à sancti Petri temporibus, nullum fuiße Papam, qui Euangelium rectè docuerit.* Alii dicunt istam de Christo doctrinam ab Apostolis quidem & aliquot eorundem successoribus, ac priscis Romanæ Ecclesiæ Episcopis purè prædicatã, sed progressu temporis, postquam Dominatus Papæ Tyrannicus Ecclesiam Dei inuaserit, multis variisq; superstitionibus atque erroribus corruptam & deprauatam fuisse, talemque per successionem & manûs traditionem ad Romanam Ecclesiam deriuatam esse. Sed prout dictum, hæc deprauatio nondum ostensa; quonam authore, quonam tempore, & vbi ea contigerit, aut initium sumpserit. Lutherus statim ab initio: alii in tertio: alii in sexto: alij in vndecimo sæculo eam factam esse referunt. *Teste Balthasare Meßnero Luthérano in Discursu de Regim: Eccl: quæst: 6. conclus: 277.* Iam autem quoties error vel hæresis quædam in Ecclesia subrepsit, toties de tempore & authore constitit. Deberent itaque Acatholici certum tempus, sub quo Papa, vel Imperatore, tota Ecclesia Catholica defecerit, vel errauerit, indicare, quod istis impossibile. Non diffitemur particulares Ecclesias, videlicet Sergij & Machometis, in Turcia, Arij & Nestorij in partibus Asiæ, Donatistarum in partibus Africæ: Lutheranorum in partibus Germaniȩ: Caluinistarum in Belgio & Anglia: Anabaptistarum in Hungaria, Bohemia, & aliorum plurimorum à sanctis Patribus pridem damnatorum diuersis temporibus à Catholica Ecclesia defecisse. Inde tamen non sequitur totam Ecclesiam, quæ à tot sæculis vniformem fidem & religionem habuit

errasse,

multis sæculis etiam in errore perstitisse, vel periisse, & defecisse, vt loquũtur Hæretici, cùm à particulari ad vniuersale non rectè colligatur. Quinimò potius dixerim hoc esse Symbolum & notam verè militantis & supra Petram fundatæ Ecclesiæ Christi, quod licèt tot Hæreticorũ fluctibus petita & pressa fuerit; naufragium tamen pati & opprimi non potuerit, sed sarta & salua remanserit. Quod Lutherani de sua Ecclesia, quæ vix ante sæculum Wittembergæ originem sumpsit, dicere non possunt. Huc pertinet illud Augustini lib: 2. de Symbolo ad Catechumenos cap: 6. *Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia vna, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica, contra omnes pugnans. Pugnare potest, expugnari non potest. Hæreses omnes de illa exierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa: Ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in charitate sua: Portæ inferorum non vincent eam.* Et in alio loco idem introducens Ecclesiam cum Christo colloquentem contra Donatistas, qui ab Ecclesia defecerant, inquit: *Quid est, quod nescio qui recedentes à me murmurant contra me? Quid est quod perditi me perijsse contendunt? Certè enim dicunt, quod fui, & non sum. Annuntia mihi exiguitatem dierum meorum. Quàmdiu ero in isto sæculo? Annuntia mihi propter illos, qui dicunt: Fuit, & iam non est: Apostatauit & perijt Ecclesia de omnibus gentibus. Et annunciauit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem sæculi.* Eodem modo hodie Ecclesia non immeritò exclamare potest. Quid est quod, Lutherani recedentes à me murmuratis contra me? Quid est quod perditi me perijsse contenditis? Cur dicitis: Fuit, & non est Ecclesia Catholica? Apostatauit, & perijt. Nonnè tu Domine annunciasti: Ecce ego tecum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem sæculi? Certè non dixisti: Ecce ego tecum sum quadringentis vel quingentis

annis; & postea per aliquot sæcula te dele... pora Lutheri: sed disertè: *omnibus diebus v... onem sæculi.* Et certè si poneremus Ecclesiam ... rasse, atq; in errore aliquot sæculis perstitisse, sequeretur tot myriades animarum extra Ecclesiam, vel sine Ecclesia potiùs perijsse, siquidem extra illam nulla salus. Quod absurdum & blasphemum.

Secundum membrum, videlicet: *Ecclesiam Catholicam non errare,* sic probo:

Quæcunq; Ecclesia incorruptè docet ea quæ ab ipso Christo & Apostolis in sacris literis proposita, & à SS. Patribus, quasi per manus porrecta & vnanimi consensu tradita sunt, nec ab eis vel latum vnguem discedit illa non errat: Hoc facit Ecclesia Catholica Romana Ergo non errat.

Atq; quidem quod doceat ea quæ à Christo & Apostolis in sacris literis proposita sunt, in sequenti ratione tertia cōmodius demonstrabo, quare ne idem ferculum bis ponatur, hic prætergredior.

Alterum, videlicet: Romanam Catholicam ea docere quæ à Sanctis Patribus, quasi per manus porrecta & tradita sunt, breuiter percurrendo aliquot articulos fidei declarabo.

De Iudice Controuersiarum.

IVdicem Controuersiarū esse Ecclesiam docent Catholici: Idem docuit *S. Augustinus lib: 2. cont: Crescent: cap:* 33. *Quisquis falli metuit huius obscuritate quæstionis; Ecclesiam de illa consulat, quæ eam sine ambiguitate demonstrat.*

Origenes Homil: 29 in Matth. Hæreticus habendus est omnis ille, qui quidem se credere profitetur: aliud tamen de fidei veritate credit, quàm habet definitio Ecclesiæ.

S. Cypria-

S. Cyprianus lib: 2. Epist: 3. *Non aliunde hæreses ortæ, aut nata sunt schismata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia sacerdos & iudex vice Christi cogitatur.* Taceo reliquos, ne pagina excrescat.

De Primatu Petri.

SAnctum Petrum fuisse visibile caput Ecclesiæ (prout supra satis declaratum) & Romæ Cathedram suam habuisse, ibidemq; per integros vigintiquinq; annos docuisse, tenet Ecclesia Catholica. Idem tenet S. Augustinus Hær: 2. *Iouem se credi volebat Simon Magus, Mineruam verò meretricem quandam Selenem, quam sibi sociam scelerum fecerat: imaginesq; & suam & meretricis, discipulis suis præbebat adorandas, quas & Romæ, tanquam Dei simulachra, authoritate publica constituerat, ex qua vrbe eum B. Petrus vera Dei omnipotentis virtute expulit.*

S. Hieronymus de viris Illustrib. *Simon Petrus ad expugnandum Simonē Magum pergit, ibiq; vigintiquinq; annis Cathedram sacerdotalem tenuit, vsq; ad vltimum, id est, decimumquartum annum Neronis; à quo & affixus cruci, & Martyrio est coronatus, capite ad terram verso.*

Isidorus in vita Petri: *Hic postquam Antiochenam fundauit Ecclesiam sub Claudio Cæsare, contra Simonē Magum Romam pergit, ibiq; prædicans Euangelium vigintiquinq; annis eiusdem tenuit Pontificatum.* Idem tenent alij SS. Patres omnes, quorum testimonia (cùm in ore duorum vel trium consistat omne verum) propter breuitatem omitto.

De Traditionibus.

TRaditiones Apostolorum parem cum S. Scriptura obtinere Authoritatem; adeoq; normam fidei & religionis esse docet Ecclesia Catholica. Idem docet S. Augusti-

nus lib: 10. de Genes: cap: 33. *Consuetudo m... baptizandis paruulis, nequaquam spernenda est, n... denda, nisi traditio esset Apostolica.* Epiphani... *oportet & traditionibus vti: non enim omnia à Diuina scriptura accipi possunt, quapropter aliqua in scripturis, aliqua in traditione S. Apostoli tradiderunt.* S. Chrysostomus in verba illa: *State & tenete traditiones. Hinc patet* (inquit) *quod non omnia per Epistolas tradiderunt, sed multa etiam sine literis: eadem verò fide digna sunt tam illa, quàm ista. Itaq; Traditionem quoq; Ecclesiæ fide dignam putamus. Traditio est, nihil quærimus amplius.*

De Inuocatione Sanctorum.

SAnctos esse inuocandos docet Ecclesia Catholica Romana. Idem docet S. Augustinus Psal: 58. in fine. *Dominus Iesus adhuc interpellat pro nobis: Omnes Martyres qui cum illo sunt, interpellant pro nobis, non transeunt interpellationes eorum, nisi transierit gemitus noster.* Et in lib: Medit: cap: 35. concludit in Orat: ad Mediatorem: *Propter bonitatem tuam suscipe preces serui tui, & da mihi effectum petitionis meæ, intercedente & orante & impetrante Gloriosa Virgine Maria, Domina mea cum omnibus sanctis.* S. Ambrosius cap: 40. *Sancta & immaculata Virgo Dei Genitrix Maria Domini nostri Iesu Christi, interuenire pro me digneris ad illum, cuius meruisti effici templum.*

De veneratione Reliquiarum.

REliquias Sanctorum esse honorandas, docet Ecclesia Catholica. Idem S. Augustinus Epist: 103. *Portant* (inquit) *reliquias beatissimi & gloriosissimi Martyris Stephani, quas non ignorat sanctitas vestra, sicut & nos fecimus, quam conuenienter honorare debeat.*

S. Am-

..brosius serm: 93. de Sanctis Nazario & Celso: ... mihi: *Quid honoras in carne iam resoluta atq; con... Honoro in carne Martyris exceptas in Christi nomine cicatrices. Honoro viuentis memoriam, perennitatem virtutis. Honoro in confessionem Domini sacratos cineres. Honoro in cineribus semina æternitatis. Honoro corpus quod mihi Dominum ostendit diligere, quod me propter Dominum mortem non docuit timere: &c.*

S. Hieronymus cont: Vigilantium: *Os fœtidum rursus aperire, & putorem contra sanctorum Martyrum proferre reliquias, & nos qui eas suscipimus, cinerarios & idololatras, qui mortuorum ossa veneramur, vocare non dubitas?* Idem Luthero dici potest.

De cultu imaginum Christi, & Sanctorum.

IMagines Christi Domini, B. Virginis, & reliquorum Sanctorum, inquantum memoriam illorum nobis reuocant & repræsentant, cultu dignas esse docet Catholica Ecclesia.

Idem S. Ambrosius in Oratione de obitu Theodosij: *Sapienter Helena egit, quæ Crucem Christi in capite Regum leuauit & locauit, vt Crux Christi in regibus adoretur. Helena Crucē inuenit, Regem adorauit, non vtiq; lignū, qui error est gentilium.* Et in serm: in Psal: 118. *Qui imaginem coronat Imperatoris, illum honorat cuius imaginem coronauit: & qui statuam Imperatoris contempserit, Imperatori iniuriam fecisse videtur.*

Gregorius Nazian: lib: 4. epist: 53. *Scio quod imaginem Saluatoris non ideo petis, vt quasi Deum colas, sed vt ob recordationem Filij Dei in amore eius recalescas.*

Ioannes Damasc: lib: 4. Ort: fid: cap: 17. *Quia non omnibus hoc*

 nibus hoc

nibus hoc contingit vt lectioni operam impendant, ideo à Patribus visum est, vt refricandæ quàm primum memoriæ causa hæc tanquam præclara quædam Trophæa imaginibus pingerentur: siquidem persæpè vsu venit, vt Domini passionem animo minimè versantes conspecta Christi crucifixi imagine, in salutiferæ passionis memoriam redeamus, ac prostrati, non materiam, sed eum cuius imago effingitur, adoremus.

De Sacramentis.

SEptem Sacramenta tenet Catholica Ecclesia, videlicet *Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Ordinem, Extremam vnctionem, Matrimonium.* Totidem Sacramenta, præter alios sanctos Patres, credidit Augustinus, qui ipsis etiam Lutheranis magnæ authoritatis est.

De Baptismo & Eucharistia lib: 3. Doctrinæ Christianæ cap: 9. ita loquitur: *Pauca pro multis, eademq; factu facillima, & conseruatione castissima ipse Dominus, & Apostolica tradit disciplina, sicuti est Baptismi sacramentum, & celebratio corporis & sanguinis Domini.* *De Confirmatione* lib: 2. con: literas Petiliani cap: 104. *In hoc vnguento* (inquit) *sacramentum chrismatis vult interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.*

De Pœnitentia. lib: 1. de adulterinis Coniug: c: 26. & 28. *Eadem est causa Baptismi & Reconciliationis, sine quibus Sacramentis se homines credunt non posse exire de corpore.*

De Ordine. lib: 2. contra epist: Parmeniani c. 13. *Vtrumque Sacramentum est, & quadam consecratione vtrumq; homini datur: illud cum baptizatur, illud cum ordinatur. Ideoq; in Ecclesia Catholica vtrumq; non licet iterare.*

De Extrema Vnctione. Serm: 215 de Temp. *Quoties aliqua infirmitas superuenerit Corpus & Sanguinē Christi, ille qui ægrotat acci-*

inde corpusculum suum vngat, vt illud quod scribatur in eo: Infirmatur aliquis, inducat Presbyteros super eum, vngentes eum oleo.

De Matrimonio lib: 1. de Nupt: & Concupisc: cap: 20. *Huius Sacramenti res est, vt mas & fœmina connubio copulati, quamdiu viuunt, inseparabiliter perseuerent.*

De communione laicorum ſub vna ſpecie.

SAcroſanctam Eucharistiam, quatenus Sacramentum, ſub vna ſpecie integrè contineri, adeòq; laicis communionem ſub vna ſpecie ſufficere, docet Catholica Eccleſia.

Idem tenent SS. Patres, Auguſtinus, Baſilius, Tertullianus, Hieronymus: quorum teſtimonia è Manuali R. P. Martini Becani facilè ſtudioſus veritatis lector excerpet.

De Tranſſubſtantiatione.

Panem & vinum Cœnæ Dominicæ in ipſa Conſecratione mutari in corpus & ſanguinem Chriſti, & extra vſum etiam manere ſub forma panis & vini verũ corpus & ſanguinem Chriſti, credit Eccleſia Catholica.

Idem S. Auguſtinus docet Serm: 28. de Verbo Domini: *Dixi vobis, quòd ante verba Christi quod offertur panis dicatur: vbi Christi verba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus appellatur.* Idem in Pſalmum 33. Conc: 1. *Ferebatur Christus in manibus suis, quando commendans ipsum suum corpus, ait:* Hoc eſt corpus meum; *ferebat enim illud corpus in manibus suis.*

Cyrillus Catech: 4. *Aquam aliquando mutauit in vinum, & non erit dignus cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutauerit.* Idem in Epiſt: ad Gallaſynium: *Eos insanire* (inquit)

quit) *qui asserunt Eucharistiam, si in alteram diem asseruetur, vim suam amittere.*

S. Ambrosius in Oratione de Obitu Fratris sui Satyri, narrat: Satyrum fratrem suum, particulam Eucharistiæ suspendisse è collo in periculo naufragij: & sic saluum euasisse. Quid hîc de vino consecrato?

De Sacrificio Missæ.

SAcrificium Missæ in recognitionem Excellentiæ Diuinæ & subiectionis suæ, ritè & rectè ex præcepto Christi, Catholica Ecclesia celebrat.

Idem tenet S. Augustinus lib: 4. de Trinit: cap: 14. *Quid gratiùs offerri aut suscipi potest, quam caro sacrificii nostri?* Sic lib: 16. de Ciuit: Dei cap: 22. loquens de oblatione Melchised. *Ibi* (inquit) *apparuit sacrificium, quod nunc à Christianis Deo offertur toto orbe terrarum.* Chrysost: Hom: 24. in priorem Epist: ad Cor. *Pro victimarum & pecorum cæde seipsum offerendum præbet.* In Hom: 17. ad Hæbr. *In multis locis offertur, non plures Christi, sed vnus Christus, hic & illic plenus existens, vnum corpus, non plura corpora.*

Hieron: in Epist: ad Marcellum: *Recurre ad Genesin, & inuenies Melchisedech Regē Salem, qui iam in typo Christi panem & vinum obtulit, & mysterium Christianum in Saluatoris corpore & sanguine dedicauit.*

De bonis operibus.

BOna opera non quidem ex solis viribus nostris, sed ex gratia Dei æstimata, esse meritoria, & conferre ad iustificationem hominis, nec solam fidem sufficere, docet Ecclesia Catholica.

Idem S. Augustinus in lib: de fide & operibus cap: 14. *Iam illud videamus, quod excutiendum est à cordibus religiosis, ne mala securitate vsi salutem suam perdant, si ad eam obtinendam solam fidem sufficere putauerint.*

rauerint. Et in Epist: 105. ad Sixtum. *Sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito iustitiæ tanquam stipendium vita æterna.*

Cyprianus in serm: de Eleemosynis. *In pace vincentibus coronā candidam pro operibus dabit, in persecutionibus purpuram pro passione geminabit.*

Chrysost: Hom: 4. de Lazaro & Epulone. *Si iustus est Deus, & his & illis reddet pro meritis. Quodsi his aut illis rependet pro meritis, hîc verò nullus eorum recepit, neq; ille improbitatis pænam, neq; hic virtutis præmia, perspicuum est restare tempus, in quo vterq; congruens præmium feret.*

De impletione legis.

HOminem adiutum Diuina gratia satisfacere posse legi & præceptis Decalogi, asserit Ecclesia Catholica.

Idem docet S. Augustinus lib: de peccatis cap: 6. *Dubitare non possumus, nec Deum aliquid impossibile homini præcipere, nec Deo ad opitulandum & adiuuandum, quò fiat, quod iubet, impossile aliquid esse.*

Chrysost: Hom: 8. de Pænit: circa med: *Nequaquam Dominum accuses; haud mandat impossibilia, multi & ipsa superant præcepta.*

Hieron: in cap: 5. ad Matth: *Multi præcepta Dei imbecillitate sua metientes putant esse impossibilia quæ præcepta sunt. Sciendum ergo est, Christum non impossibilia præcipere, sed perfecta quæ fecit Dauid.*

De Purgatorio.

ANimas fidelium cum reatu pænæ temporalis decedentium in Purgatorio detineri, statuit Ecclesia Catholica.

Idem sanctus Augustinus lib: 20. hom: 16. *[...] valibus pœnis digna gesserunt per ignem quendam purgatorium transibunt, de quibus Apostolus dicit: saluus erit, sic tamen quasi per ignem.*

Origenes Hom: 6. in Exod. *Qui saluus fit, per ignem saluus fit, vt si fortè de specie plumbi aliquid habuerit admixtum, id ignis decoquat & resoluat, vt efficiantur omnes purum aurum.*

Basilius in cap: 9. Isaiæ. *Si igitur per confeßionem dete-xerimus peccatum, iam succrescens gramen arefecimus, dignum planè quod depascatur & deuoret ignis Purgatorius.*

De Precibus pro Defunctis.

HOc præmisso, porrò docet Catholica Ecclesia: Defunctorum animas Purgatorij pœnas patientes nostris precibus iuuari posse.

Idem S. Augustinus in lib: de cura pro mort: cap: 2. *In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium, sed etsi nusquam in scripturis veteribus legeretur, nec parua tamen est vniuersæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret Authoritas, vbi in precibus sacerdotis quæ Domino Deo ad eius altaria funduntur locum suum etiam habet commendatio mortuorum* Et cap: 4. *Non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christiana & Catholica Ecclesia defunctis, suscipit Ecclesia.*

S. Hieron: in Epist: ad Pammachium de obitu Paulinæ vxoris. *Cæteri mariti super tumulos coniugum spargunt violas, rosas, lilia, floresq́ purpureos: Pammachius sanctam fauillam, ossaq́ veneranda balsamis Eleemosynæ rigat. His pigmentis atq́ odoribus fouet cineres quiescentes, sciens scriptum: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna peccatum.*

Grego-

Gregorius lib:4. Dialog: cap: 15. *Multum solet animas etiam post mortem sacra oblatio hostiæ salutaris adiuuare: ita vt hanc nonnunquam ipsæ defunctorum animæ expetere videantur.* Atq; tantum de secundo membro Minoris nostræ: Ex quo satis clarè constat, Doctrinam Ecclesiæ Catholicæ Romanæ cum Doctrina quam SS. Patres ab antiquis temporibus docuerunt conuenire, ac proinde non errare, nisi Lutherani simul omnes SS. Patres erroris accusare vellent.

Superest tertium: nimirum Ecclesiam Catholicam errare non posse. Quæ assertio fundatur & firmatur in promissionibus Christi, Matth: 16. *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* Hîc Christus instar sapientis Architecti non super arenam, sed super Petram domum ædificantis, suam quoq; Ecclesiam super Petram se ædificaturum, & adeò firmaturum promittit, quòd neq; inferorum portæ quicquam contra eam valituræ sint. Sic Ioann: 14. ℣ 16. Saluator inquit. *Ego rogabo Patrem, & alterum Paracletum dabit vobis vt maneat vobiscum in æternũ spiritum veritatis.* Assistentia Spiritus sancti hîc Apostolis non per vnum tantùm, duo, vel tria sæcula, sed in æternum promittitur. Frustra ergo Ecclesiam errare posse asserunt aduersarij, quę perpetuò sibi adsistentē Paracletum habet. Porrò Ecclesia 1. ad Cor: 3. ℣ 16. *Columna & firmamentum veritatis* dicitur. Sicut enim columna & firmamentum sustinet ædificium & omne quod superstructũ est: ita quoq; Ecclesia cælestem sustinet veritatem. Huc faciunt & alia præclara sacræ scripturę loca. Oseæ 2. ℣ 18. *Sponsabo te mihi in æternum.* quod de nullo alio intelligi potest, quàm de spirituali coniugio, inter Ecclesiam spõsam, & Christum sponsum. Ad quod Cyprianus in lib: de vnitate Ecclesiæ respicit, dum dicit: *Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est,*

rupta est & pudica. Isa: 54. *Montes commouebuntur, & colles contremiscent: misericordia autē mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur. Ecce ego sternam per ordinē lapides tuos, & fundabo te in sapphyris, & ponam iaspidē propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos.* Et ℣ 17. *Omne vas quod fictum est, contra te non dirigetur, & omnem linguam resistentem tibi condemnabo.* Quasi diceret: Ita te stabiliam, vt nulla tempestate conuelli possis, nec quicquam hæretici, quotquot diabolus contra te excitabit, proficient, sed omnes linguas (inter quas sine controuersia & Lutheri ducenda est) tibi resistentes in vniuersi orbis terrarum Iudicio condemnabo.

Nec est quod hic vel Synagogæ defectus, vel S. Petri errores, vel summorum Pontificum Romanorum næuos in proscenium producant Lutherani. Synagogam quod attinet, nondum euictum est eam totaliter à Domino defecisse. Quod enim Exodi 32. in absentia Moysis defectus Aaronis & populi in conflando aureo vitulo affertur, nihil probat. Non enim omnes istum vitulum pro Deo ex errore, sed plurimi eorum cum Aarone ex metu, ne à reliquis opprimerentur, adorarunt, quod ex ipso contextu euidenter elucet vers: 25. Moyses reuersus videns populum ait: *Si quis est Domini iungatur mihi. Congregatiq; sunt ad eum omnes filij Leui, quorum erant viginti duo millia*, Numer: 3. ℣ 39. Sed posito, Synagogam ancillæ filiam aliquando errasse: Non sequitur inde, E. etiam Ecclesia Christi, quæ filia liberæ dicitur, errauit, siquidem Synagoga eam stabilitatē, quam Christus suæ Ecclesiæ promisit, promissam non habebat.

Deinde, quod S. Petrus dissuadendo Domino iter Hierosolymitanum Matth: 16. ℣ 10. & abnegando Christum Matth: 26. ℣ 72. errauerit: Dicendum, illum tum temporis non

... nondum Primatum in Ecclesia obtinuisse, neque Vicariatum Christi, quem post resurrectionem demum acceperat, gessisse, adeòq; non tanquam Caput Ecclesiæ, sed vt priuatam personam errasse. Certè ibi ne vestigium iurisdictionis Pontificiæ adhuc fuit. Similiter ad simulationem Iudaismi dici potest S. Petrum non errasse. Omnis enim error ex ignorãtia veri, quæ in Petro præsumi non poterat, proficiscitur. Peccasse autem fatemur, ac proindè S. Pauli reprehensionem humili & patienti animo sustinuisse. Præterea peccauit tanquam priuatus homo, non autem tanquã Caput, alioqui à S. Paulo reprehensus non fuisset. Eodem quoq; modo ad errores summorum Pontificum respondemus distinguendo, inquantum priuatæ Personæ, & sic errasse & errare posse, fatemur. *Can: Si Papa dist*: 40. Sic Marcellinus Papa errauit, dum ad Gentilismum deflexerat, & idola colere cæperat: qui tamen postea cognito errore culpam apud Concilium, quod ad eligendum nouum Pontificem conuenerat, deprecari, & pænitentiã pro errore deposcere volebat. Cui à Concilio respondebatur: *A nemine iudicari potes; Tuo te ore iudica.* Is ergo reuocato publicè errore ab Imperatore Iuliano, in cuius gratiam antea defecerat, interfectus, & Martyrio coronatus est. Inquantum verò Pontifex est Caput Ecclesiæ, ex Cathedra decernens ac definiẽs aliquid Pontificia authoritate pro tota Ecclesia in articulis fidei errare nunquam potest. Vtinam *Lutherani* tàm curiosi essent in inuestigandis Protoplasti sui erroribus & næuis, fortè magis inuenirent, quod in ipso vno quàm quod in S. Petro, vel omnibus Pontificibus Romanis culpare possent.

Sequitur Antithesis, quæ pariter constat tribus membris examinanda; quod breuiter expediam.

Ab initio qnidem Lutheranam Ecclesiam errasse, sic arguo.

Cuiuscunque Ecclesiæ Author certo tempore & loco, post tot sæcula, priuato ductus affectu & odio contra Vniuersalem Ecclesiam, ab ea defecit, Illa Ecclesia certò errauit.

Atqui Lutheranæ Ecclesiæ Author Martinus Lutherus certo tempore & loco, post tot sæcula priuatis ductus affectibus & odio contra vniuersalem Ecclesiam ab ea defecit. Ergo.

Minor probatur: Publicatis enim à Leone x. per Ordinem Prædicatorum Indulgentijs, Lutherus etiam per suum Ordinem (Augustinianorum videlicet) Ecclesiæ eius loci Indulgẽtias dari postulauit, quæ dum ipsi cupidè ambienti à Sede Apostolica non concederentur; prætcrea etiam ampla quædam Præbenda, quæ ipsi tanquam Monacho non competebat, denegaretur, superbia inflatus, & furijs infernalibus agitatus, quò illam quam sibi illatam falsò putabat iniuriam in summum Pontificem vlcisceretur, cæpit amodò in Concionibus inuehi in Indulgentias illius Ecclesiæ. Et cùm aliquoties Authoritate Sedis Apostolicæ & Vniuersæ Ecclesiæ admonitus non destitisset, tandem Ecclesiasticis censuris subiectus, & excommunicationis vinculo innodatus fuit. Vbi iam extorris & titio infernalis factus, à matre Ecclesia seclusus, suoq; genio relictus erat, generaliter omnes indulgentias, tanquam inualidas cauillari cæpit, suamq; opinionem Thesib. Wittẽbergę ad valuas Ecclesiæ Anno 1517. publicatis, vniuerso populo eius loci persuadere conabatur. Hæc origo Lutheranæ Ecclesiæ. Quomodo autem doctrinam suam propagauerit, & qua ratione factum, vt tam multos asseclas habuerit, & adhuc habeat, infra in Ratione Septima & Nona declarabo. Interim taceo carnis irritamenta, quæ illum è claustris ad sæculum & Apostasiam traxerunt.

..d secundum mmebrum Antítheſcos me confero, & Lutheranam Eccleſiam hodie errare, hoc argumento probo.

Quæcunq; Eccleſia relictâ Doctrina Chriſti & Apoſtolorum errores antiquiſſimarum hæreſum à Sanctis Patribus & Eccleſia iam pridem damnatarum ex orco quaſi reducit, & defendit, illa errat.

Atqui Lutherana Eccleſia, relictâ Doctrina Chriſti & Apoſtolorum, errores antiquiſſimarum hæreſum à Sanctis Patribus & vniuerſâ Eccleſiâ iam pridem damnatarum ex orco reducit & defendit; Ergo Lutherana Eccleſia errat.

Primam partem Minoris in ſequēti ratione probabo. Nunc Doctrinam Lutheranę Eccleſię ex antiquiſſimis hæreſibus compilatam eſſe, euidenter demonſtro

1. Authoritatem Eccleſiæ Catholicæ & Cathedram Pontificis Romani non agnoſcunt Lutherani, eamq; appellant ſedem Antichriſti, & meretricis Babylonicæ.

Idem fecerunt Petiliani, Nouatiani, & Donatiſtæ, qui Cathedram Petri appellârunt cathedram peſtilentiæ; quos S. Auguſtinus lib: 2. cap: 5. con: Petilianum ſic affatur: *Cathedra vobis quid fecit Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit, & in qua nunc Anaſtaſius ſedet? Cur appellatis cathedram peſtilentiæ?* Pari modo hodie Lutheranos alloquor: Cathedra vobis quid fecit Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit, & in qua nunc Vrbanus VIII. ſedet? Cur appellatis Sedem Antichriſti & meretricis Babilonicæ?

2. Traditiones Apoſtolicas non eſſe tenendas, ſed ſoli Scripturæ ſtandum, docent Lutherani. Idem docuerunt Marcionitæ, Valentiniani, Eunomiani, & Ariani, ad ſolam ſcripturam prouocantes. Hi damnati ab Auguſtino lib: 1. con: Arrian: & alijs SS. Patribus ſuper hoc loco citatis.

3. Eccle-

3. Ecclesiam Catholicam non habere Caput visibile, & passim à fide defecisse asserunt Lutherani. Idem Luciferiani, Nestoriani & Waldenses, teste Augustino lib: de vnitate Ecclesiæ.

4. Sanctos non esse inuocandos, nec eorum reliquias esse venerandas, tenent Lutherani. Idem antiquissimi hæretici Valentiniani, Manichæi, Vigilantius, & alij quos damnauit S. Hieron: supra loco citato.

5. Venerationem Imaginum S. Crucis, Beatissimæ Virginis, & aliorum Sanctorum, proscripsit Lutherus. Idem fecit Iulianus Apostata, Iconomachi, Paulitiani, & Valentiniani, refutati à Sancto Ambrosio in loco supra citato.

6. Septenarium Sacramentorum numerum non accipiunt Lutherani. Idem fecerunt olim Donatistæ & Nouatiani, vt testatur Optatus Mileuitanus in lib: 2. cont. Donatist.

7. Communionem sub vtraq; specie laicis faciendam, nec eis vnam speciem sufficere volunt Lutherani. Idem Berengarius, Ioannes Hus, & alij ab Ecclesia pridē ante Lutherum damnati.

8. Transubstantiationem in odium Papatus noluit credere Lutherus (vt ipse testatur in Epist: quadam ad Argentoratenses) Idem Nouatiani teste Cyrillo ad Celosyrium.

9. Sacrificium incruentum Missæ ex suis Ecclesiis profligârunt Lutherani. Idem olim conati sunt Manichæi Iouiniani, Wiclephistæ, damnati à S. Augustino hæres: 82. & Hier: in Epist: ad Marcellum,

10. Solam fidem iustificare, ac proinde firmiter credenti nulla peccata obesse credidit & docuit Lutherus. Idem Eunomiani, Basilides & Carpocrates, quos damnat S. Augustinus hæres: 54. & Iren: lib. 1. cap: 25 ℣ 24.

11. Bona opera non esse meritoria vel ad consequendam

vitam

vitam æternã necessaria, docent Lutherani. Idem Simon Magus iam ab Apostolo olim damnatus. Item Eunomius, teste Iren: lib: 1. cap: 10.

12. Homini, etiam iuuante Diuina gratia, impossibile esse satisfacere Decalogo; fingũt Lutherani. Idem Montanistæ, Iacobitæ, & Albigenses; teste Hieron: ad Marcel: de errore Montanist.

13. Purgatorium explosit Lutherus. Idem Photius & Aërius damnati à S. Hieronymo in fine comm: ad Isaiam

14. Orationes & sacrificia viuentium defunctis non esse necessaria, dicunt Lutherani. Idem dixit Aërius Arrij sectator à sancto Augustino in libro de hæresibus cap: 53. expresse damnatus. Hinc satis manifestum est, Lutherum leberide nudiorem remanere, si ipsi plumæ hæreticorum antiquissimorum detrahantur.

Residuum est vltimum membrum Antitheseos nostræ, videlicet Lutheranam Ecclesiam errare posse; quod ex ipsorum hypothesi elicio, sic argumentando:

Si tota Ecclesia in fide errare potest, imò errauit, dum sensim & occultè verbum Dei deserendo defecit; Etiam Lutheranorum Ecclesia sensim & occultè verbum Dei deserendo deficere & errare potest.

Antecedens est Lutheranorum. Ergo & consequens.

Quid si ergo iam defecerit, & verbum Dei deseruerit, ipsiq; non aduerterint, præsertim cùm nullum Caput habeant, quod curam & inspectionem supremam & accuratam Ecclesiæ eorum gerat. Et quamuis haberent, quomodo possunt aduertere, si defectio sit latens & occulta. Hîc candido Lectori, cui æterna salus cordi est, quid de Catholica Ecclesia Romana, quidue de Lutheranorum Ecclesia sentiendũ sit, sepositis affectibus, iudicandum relinquo, meq; ad Tertiam Rationem accingo.

TERTIA RATIO

PETITA EX

Fundamentis Sacræ Scripturæ.

Quæcunq; Ecclesia Verbum Dei, prout ab ipso Christo, Apostolis, & eorum successoribus traditum est, incorruptè retinet, eique nihil addit, detrahit, vel immutat, sed Doctrinam suam in eo dextrè fundat: Illa est vera Ecclesia.

Atqui Catholica Romana Ecclesia verbum Dei prout ab ipso Christo, Apostolis, & eorum successoribus traditum est, incorruptè retinet, eiq; nihil addit, detrahit, vel immutat, sed doctrinam suam in eo dextrè fundat

Ergo Catholica Romana Ecclesia est vera Ecclesia.

Quemadmodum è contrario.

Quæcunq; Ecclesia verbum Dei prout ab ipso Christo, Apostolis, & eorum successoribus traditum est incorruptè non retinet, sed vel addendo, vel detrahendo, vel immutando ei vim & iniuriam infert, neq; doctrinam suam dextrè in eo fundat; Illa est falsa Ecclesia.

Atqui Lutheranorum Ecclesia verbum Dei prout ab ipso Christo, Apostolis, & eorum successoribus traditum est incorruptè non retinet, sed vel addendo, vel detrahendo, vel immutando, ei vim & iniuriam infert, neq; doctrinam suam dextrè in eo fundat.

Ergo Ecclesia Lutheranorum est falsa Ecclesia.

Maior vtriusq; Argumenti extra omnem controuersiam est. Minorum probationes coniungam; quarum quælibet tribus membris constabit.

Primò

Primo itaq; videamus.

Vtrum Ecclesia Catholica Romana, vel Lutherana verbum Dei prout à Christo, Apostolis, & eorum successoribus traditum est incorruptè teneat, nec ne?

Ad euidentiorem disquisitionis intellectum, præmittimus nos per verbum Dei hoc loco intelligere Sacram scripturam, seu Codicem Biblicum, qui generaliter distinguitur in Vetus & Nouum Testamentum. Veteris Testamenti libros pro Canonicis Ecclesia Catholica Romana tenet hos: *Genesin, Exodum, Leuiticum, Numeros, Deuteronomium, Iosuæ, Iudicum, Ruth, quatuor libros Regum, duos Paralipomenon, duos Esdræ, Tobiæ, Iudith, Ester, Iob, Psalterium, Prouerbia, Ecclesiasten, Cantica, librum Sapientiæ, Ecclesiasticum, quatuor Maiores Prophetas, duodecim Minores, duos Machab libros.* Noui verò Testamenti, *Quatuor Euangelistas, Actus Apostolorum, quatuordecim Epistolas Pauli, tres Ioannis, duas Petri, vnam Iacobi, vnam Iudæ, Apocalypsin Ioannis* Horum librorum Catalogus in Concilio Tridentino Sessione quarta repetitus, in Ecclesia Catholica integris mille ducentis triginta & tribus annis viguit, siquidem Patres Concilij Tridentini, illum per Traditionem acceperunt ab Eugenio Papa in Concilio Florentino, Eugenius accepit à Gelasio Papa in Concilio Romano: Gelasius ab Augustino lib: 2. de Doctrina Christiana cap: 8. Augustinus à Concilio Carthaginensi: hoc Concilium deniq; ab Innocentio I. Vixit autem Innocentius Anno Christi 402. Ab illo itaq; tempore, ad nostrum vsq; sæculum, per continuatam Traditionē perseuerat idem Scripturæ Canon, quem Ecclesia Catholica integrè adhuc hodie retinet & amplectitur.

Ex horum librorum numero, & quidem primo Vete-

ris Testamenti Lutherus expunxit *Tobiam, Iudith, Ester Sapi-*
entiam, Ecclesiasticum, Macchabæos. Secundò Noui Testamē-
ti: *Epistolam Pauli ad Hebræos, Epistolam Iacobi, Epistolam Iudæ,*
& Apocalypsin Ioannis. Alij plures, alij pauciores, prout cuiq;
pro disseminando suo errore opportunū videtur: verùm
vt aliquem tanti sacrilegij prætextū habeant, prouocare so-
lent ad primitiuam Ecclesiam, quæ fuit ante Innocentium
Papā, & dicunt tales libros expunctos etiam à sanctis Patri-
bus tunc temporis pro Apocryphis habitos; quod simpli-
citer negamus, ex eo, quod ante Innocentium, nondum e-
rat certa declaratio facta, quinam pro Canonicis, & quinam
pro Apocryphis haberi deberent: dubitabatur quidem de
nonnullis, præsertim de *Tobia, Iudith, libris Esdræ, Machabæ-*
orum, Epistola ad Hebræos, Iacobi, Iudæ, posteriore Petri, secun-
da & tertia Ioannis, Apocalypsi, libell. Pastoris, Reuelatione Pe-
tri, Actibus Pauli, num pro Canonicis essent habendi, Testi-
bus sancto Hieronymo, Origene, Hilario, Epiphanio, & a-
lijs. Donec tandem omnis dubitatio per Innocentium Pa-
pam sublata fuit, idq; ad instantiam Exuperij Episcopi To-
lossani, qui à dicto Pontifice, quidnam de his libris statu-
endum esset, requirebat: itaq; in Canonē supra enumera-
ti libri, authoritate Apostolica, & vniuersæ Ecclesiæ relati
sunt, exclusis libello Pastoris, Reuelatione Petri, & Acti-
bus Pauli. Huic definitioni sanctus Augustinus cum omni-
bus successoribus Innocentij, & tota Ecclesia Catholi-
ca, in hunc vsq; diem stetit & adhæsit. Hic vbi se elabi non
posse aduertunt Lutherani, Iudæos appellant, malunt e-
nim se ipsorum arbitrio submittere, quàm authoritati Ec-
clesiæ quicquam tribuere. Verùm & ibi ipsis foramen ob-
structum à sanctis patribus, qui expressè forum Iudaicum
declinant. *Sanctus Augustinus lib: 18. de Ciuit: Dei cap: 39.*

Machabæ-

Machabæorũ libros (inquit) *non Iudæi sed Ecclesia, pro Canonicis habet. Isidorus de libris Veteris & Noui Testamenti: Hebræi non recipiunt libros Tobiæ, Iudith, Macchabæorum, Ecclesia tamen eos inter Canonicas scripturas enumerat.* Vltimò, pro ficulneo pallio assumunt illud: Probate, & quod bonum est tenete. Sed num iudicio vniuersalis Ecclesiæ (quam errare non posse supra satis ostensum) à tot sæculis toto Christiano orbe approbato standum? Num veró vnius Monachi Apostatæ fidendum, quilibet cordatus iudicet.

Assumo secundum Minoris nostræ membrum, & Catholicam Ecclesiam Sacræ scripturæ nihil addere, vel detrahere, vel quicquam immutare: Lutheranos verò addẽdo, detrahendo, immutando, variè vim & iniuriam sacris literis inferre, probo:

Primum patet ex eo, quod Catholica Ecclesia vnicâ vulgata eaque vetustissima scripturæ versione vtitur, quæ iam multis sæculis in Ecclesia viguit, & cõmuni Christianorum consensu recepta & approbata est. Et quanquã toto terrarũ orbe diffusa sit Ecclesia, vnâ tamen loquitur linguâ, & iisdem spiritus sancti verbis ac formulis assueta manet, cui rectè conuenit illud, quod Genesis 11. dicitur: *Erat autem terra labij vnius, & sermonum eorundem.* Alterum manifestè demonstrant variæ & innumeræ ferè Bibliorum versiones, quæ Lutheranorum manibus teruntur. Alia enim est versio Lutheri, alia Oecolampadij, alia Tremelij & Iunij, alia Osiandri, alia Crameri, alia aliorum, de quorum multitudine etiam ipsi inter se conqueruntur. Protoplastus Lutheranorum, in Commemoratione de nouissimis verbis Dauidis, in Præfatione iam suo tempore scripsit: *Omninò melius esset retinere illam hactenus receptam & vsitatam versionem Bibliorum, quàm tot nouas versiones cumulari, quibus nihil proficitur, nisi*

 citur, nisi

citur, nisi quod dissimilitudo, & discrepantia lectionum memoriam Lectorum turbat, & studium moratur, ac in multis locis incertiorem quam fuerit, dimittit. Et in alio loco: *Tam multæ nostro tempore sunt versiones Bibliorum, vt paulatim tam multa futura sint Biblia, quam multi scioli in Hebraica lingua Magistros se profitentur.* Rauchlinus in Hebræas concordantias: *Multæ translationes Bibliorum in lucem prodeunt, quas melius fuisset non natas esse, vel statim interijsse.* Chemnic. in prima parte Exam: Conc: Tridentini: Vtile esset exstare certam aliquam versionem, quæ in citationibus allegetur. Idem etiam alij multi, quibus meritò dicitur illud subsequentis textus supra ex Genes: citati, à Domino: *Confundamus linguam eorum, vt non audiat vnusquisq; vocem proximi sui.*

Præterea Lutherum Sacrę scripturę venenatis suis additionibus, & periculosis detractionibus, vim & iniuriam intulisse, adeò palam est, vt vix probatione indigeat. Tamen ad dilucidiorem demonstrationem, vnum vel alterum exemplum proferam, præclaro dicto *Pauli ad Rom: 3. Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis.* Ipse addidit particulam *solam*, & Germanicè sic reddidit: allein durch den glauben ohn die werck. Et hoc nullo alio fine, nisi vt bona opera à negotio iustificationis prorsus excluderet, eaq; ad vitam æternam consequendam necessaria non esse, hominibus persuaderet. Sic 1. ad Cor: 9. vbi Paulus dicit: *Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi?* addit ipse *vxorem*, (zu einer ehe frawen) quasi Apostoli matrimonij causa mulieres secum duxissent Hoc autem propterea, vt cœlibatum sacerdotum eo faciliùs tolleret, suæque lasciuiæ aliquod patrocinium haberet. Item Orationi Dominicæ, tanquam imperfectæ, clausulam, adiecit: *Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria, in sæcula*

sæculorum

ſæculorum. Sed non ſolùm additionem, verumetiam ſubtra-
ctionem artificioſè in alijs adhibere nouit. Sic Epiſt: Petri cap:1 vbi Princeps Apoſtolorum reliquos hortatur his verbis: Idcirco fratres ſatagite vocationem & electionem veſtram certam facere per opera bona, ipſe detraxit, vel omiſit hæc verba, *per bona opera*, propter rationem ſupra dictã.

Non repeto iam turpiſſimam deprauationem & nefariam ſcripturæ mutilationem, cùm enim homo verſutiſſimus ſatis intelligeret Catholicorum Doctrinã de Iuſtificatione hominis coram Deo: De bonis operibus: De Purgatorio: De ſuffragijs pro mortuis faciendis: De Sacrificio Miſſæ: De Extrema vnctione, & conſimilibus alijs Chriſtianæ fidei ſummis articulis in Epiſt: S. Iacobi: in Epiſtola S. Iudæ: in Epiſt: ad Hebræos: in Apocalypſi: in lib: Machabæorum expreſſè fundatas, nec ſe habere, quod ad textus illos luce meridiana clariores reſpondere poſſet, pronunciauit illos libros (quamuis, vt ſupra dictum eſt, per mille & plures annos, in Canone Eccleſiæ extarent) Apocryphos, ſpurios, & ſuperſtitioſos, illiſq; omnem authoritatem denegauit. hoc enim Antidoto remoto, venenum ſuum impunè ſe hominibus propinare poſſe arbitrabatur.

Reſtat Tertium & vltimum Minoris noſtræ membrũ, videlicet, quod Doctrina Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, dextrè in verbo Dei fundata ſit: Lutheranæ verò non ita: in his cùm cardo totius rei verſetur, paulò fuſiùs de principalioribus vtriuſq; Religionis articulis differendum erit: Caucbimus tamen, ne quicquam ſuperfluè ponatur.

P R I M O.

De Eccleſia & eius Capite.

Quod

QVod Christus, dum in terris degeret, visibili & inuisibili modo Caput Ecclesiæ fuerit, post Ascensionē verò visibiliter eam regere desierit, locoq; sui Sanctum Petrū Apostolorum Principem, Vicarium reliquerit, quodque summus Pontifex Romanus verus Petri successor hodie sit: item Ecclesiam nunquam errasse, nec errare, nec posse errare, ac proinde infallibiliter controuersiarum Iudicē esse, cùm supra in rationibus præcedētibus, tam ex sacris literis, quàm alijs fundamentis abundè demonstratum sit, hic eandem crambem recoquere nolumus.

SECVNDO.

De Traditionibus.

PRæter Verbum Dei scriptum etiam aliud sine scriptis viua voce ab Apostolis traditū esse, illudq; parem cum verbo Dei scripto Authoritatem obtinere, docent Catholici. Fundantur in illo Apostoli *ad Thessal: cap: 2.* ℣ 14. *Tenete Traditiones quas accepistis, siue per sermones, siue per Epistolam nostram.* In quem locum Chrysost: *Hinc patet, quod non omnia per Epistolam tradiderint Apostoli: sed multa etiam sine literis, eadem videlicet fide digna sunt tam illa, quàm ista.* Nec res ratione caret. Si enim illa tantùm, quæ in sacris literis inueniuntur, credenda essent, sequeretur, multos fidei articulos, etiam illos quos Luterani nobiscum habent, non esse tenendos. Probent Lutherani ex sacra scriptura, *Symbolum esse verè Canonicum & ab Apostolis conscriptum.* De quo Basilius. *Omitto cætera, ipsam fidei professionem, qua credimus in Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, è quibus scripturæ locis habemus?* Demonstrent ex sacris literis, *infantes esse baptizandos*: De

dos: De quibus *Origenes in cap: 6. Epist: ad Rom. Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit etiam paruulis baptismum dare*: Ostendant ex Biblijs B. Virginem ante partum, in partu, post partum mansisse Virginem. Euincant Lutherani tria tantùm esse Sacramenta: *Baptismum, Eucharistiam, & Absolutionem* in sacra scriptura definita. Nos 7. ex Traditione Apostolica accepimus: illi vnde sua habeant, dicant: declarent *Codicem Biblicum continere verbum Dei*. nisi fortè idem per idem probare velint. De quo Augustinus cap: 5. contra Manichæos: *Ego verò Euangelio non crederem, nisi Catholicæ Ecclesiæ me permoueret Authoritas*. producant *Nomen Sanctissimæ Trinitatis, Exorcismum* ex sacro codice, & alia quàm plurima, de quibus *Ioan: cap: 20. non omnia sunt scripta in hoc libro*. Et in alio loco: Nec ipsum mundū capere posse eos, qui scribendi sunt, libros, si scribantur per singula, *Ioan*: 21. ℣ 25. affirmat.

Hîc si contradictionis me aliquis insimularet, quod in hypothesi posuerim, Verbo Dei nihil addendum, hoc loco verò præter illud, Traditiones quoq; admittam. Huic respondeo (distinguendo inter Verbum Dei scriptum, & illud quod viua voce traditum est) & dico non esse contraria: Verbo Dei nihil addere, & Traditiones Apostolicas admittere: Siquidem & hæ sunt Verbum Dei ab ijsdem Apostolis eiusdem Spiritus sancti instinctu nobis ad credendum commendatum & propositum, iuxta illud. *Tenete Traditiones quas accepistis*. Conuenit hoc in tertio Ius Diuinum cum iure humano. Quemadmodum enim ius humanum scriptum vtile est ad decidendas controuersias forenses, non tamen sufficit omnibus casibus; ac proinde etiam iure non scripto, quod consensus vtentium introduxit, opus est; ita etiam cùm non omnia ad salutem necessaria scriptis contineantur, vt patet ex supra adductis exem-

 plis,

plis, etiam Verbum Dei non scriptum, seu viua voce traditum tenendum est, de quo sanctus Augustinus: *Insolentissimæ* (inquit) *insaniæ est, velle disputare, an faciendum sit quod tota per orbem terrarum frequentat Ecclesia.* Non imus inficias, præter Traditiones Apostolorum, etiam alias à viris Apostolicis & Prælatis Ecclesiæ, circa ceremonias & externos ritus promulgatas à Catholicis obseruari, sed ἀδιαφορικῶς, nec similem cum Apostolicis authoritatem obtinere.

TERTIO.

De Antichristo.

DVm in tenebris Lutheranismi hærerem, omninò credebam summum Pontificem Romanū esse Antichristum; non enim aliter in Scholis priuatim & publicè in templis Hæreticorum edoctus eram. Verùm simul ac in luce Catholicæ Ecclesiæ constituebar, rem aliter multò se habere deprehendi. Vnde mihi non parum dubitationis etiam de reliquis Lutheranæ fidei articulis suboriebatur, cùm Testi semel periuro ampliùs nulla fides habeatur. Studebam quidem notas Antichristi accōmodare summo Pontifici Romano, sed non magis illi congruebant, quàm Christo calumniæ Iudæorum, qui vocabant eum Samaritanum & habentem Dæmonia; quod ex sequentibus sat clarè constabit.

PRIMO: Antichristus non debet esse nisi vnica persona 1. *Ioan*: 3. & 2. *ad Thessal*: 2. At Romani Pontifices iam ducenti & quadraginta fuerunt.

Secundò, Antichristus non regnabit nisi tribus annis cum dimidio, videlicet, per tempus, & tempora, & dimi-

dium tem-

dium tempus *Daniel*: 7. ℣ 25. Quod explicatur *Apocal*: 11. ℣ 2. Mensibus quadraginta duobus, & ver: 3. diebus mille ducentis sexaginta. At Pontifex regnauit iam 16. sæculis.

Tertiò, Antichristus non debet venire priusquàm Romanum Imperium euersum & desolatum fuerit, *Daniel*: 2. & 7. *cap*. Atqui Romanum Imperium nondum euersum & desolatum.

Quartò, Antichristus à Iudæis pro Messia suscipietur *Ioan*: 5. ℣ 43. Atqui nullus Pontifex adhuc ab illis pro Messia receptus.

Quintò, Antichristus debet sedere in templo Hierosolymitano, *Apoc*: 11. 2. *Thes*: 2. At summus Pontifex sedet in Cathedra Petri Romæ.

Sextò, Antichristus tollet Sacrificium incruentum Missæ *Dan*: 9. & 12. *Deficiet hostia & sacrificium* At summus Pontifex iubet, & ipse celebrat.

Septimò, Antichristi tempore venturi sunt duo Testes Enoch & Elias, qui amicti sacco & cilicio prophetabunt diebus mille ducentis & sexaginta, habebunt potestatem claudendi cælum, ne pluat diebus Prophetiæ ipsorum, & potestatem conuertendi aquas in sanguinem *Apocal*: 11. ℣ 3. At hi duo Testes nondum venerunt.

Octauò, Antichristus occidet duos istos Prophetas, & iacebunt illorum corpora demortua in foro per triduū. *Apocal*: 11. ℣. 7. Sed hoc nullus Pontifex fecit. Hæreticorum potiùs hoc ingenium est, vt in viros Dei sæuiant, atq; è Religiosorum hominum fuso vbique sanguine hauriant quinti sui Euangelij vires.

Nonò, Antichristus faciet ignem de cælo descendere, & imaginem bestiæ loqui, *Apocal*: 13. ℣ 3. At neutrum horum fecit summus Pontifex.

Decimò, Dies nouissimi Iudicij statim sequetur Antichristum, *Dan* : 7. & *Matth* : 24. At hoc de nullo summo Pontifice vel fingi potuit, aliàs sequeretur nouissimum iudicium iam 240. vicibus celebratum, quod plusquàm absurdum est.

Comperi sanè Lutheranos ex mero rancore & calumniandi libidine eiusmodi sannas & conuitia in summum Pontificem iactare, quò illum exosum rudibus detestabilemque reddant. Sed mentitur iniquitas sibi.

QVARTO.

De Inuocatione Sanctorum.

PAri ratione in singula quoq; Ecclesiæ Catholicæ membra sæuiunt & debacchantur, dum illis superstitionem, iniuriam in Deum, blasphemiam, diffidentiam, idololatriam, & nescio quæ non alia affingunt; idque ex eo capite, quòd Sanctos inuocent, eorum Relliquias honorent ac venerentur, & imagines colant. Antequam autem ad contumelias Lutheranorum respondeamus, præmittimus triplicem cultum haberi in Ecclesia Catholica Romana: primò, cultum λατρείας qui soli Deo debetur. Huc spectat illud Matth: 5. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Secundò, cultum ὑπερδουλίας quo veneramur Beatissimam Virginem Mariam, quæ meruit Dei Mater esse, Cuius gratiam Angeli prædicant, & benedictam dicunt omnes generationes. Tertium cultum δουλίας, quo inuocamus omnes Sanctos, quos cælo adscriptos & amicos Dei esse constat. Iam dicimus priori modo solum Deum tan-

quam

quam vnicum bonorum tam spiritualium, quàm corporalium Datorem, atq; in omnibus calamitatibus auxiliatorem à Catholicis adorari, secundùm illud Psalm: 49. *Inuoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me.* Posterioribus verò duobus modis inuocari Beatiss. Virginem, & reliquos Cælites non quidem vt auxiliatores & opitulatores, sed vt intercessores & suffragatores apud Deum, quò is nobis propitius sit, nostras preces eò faciliùs exaudiat, & auxilio nobis sit, his formulis: *Sancta Dei genitrix, ora pro nobis. Sancte Petre, ora pro nobis. Sancte Angele custos, ora pro nobis. Omnes Sancti intercedite pro nobis.* Nituntur Catholici triplici fundamento.

Primó, Expresso Verbo Dei. Sic *Apostolus ad Colos.* 4. ℣ 2. *Orationi instate, orantes simul & pro nobis.* Et 2. ad *Thes:* 3. ℣ 1. *Fratres orate pro nobis, vt sermo Dei currat & clarificetur, sicut & apud vos* & alijs passim in locis hortatur Apostolus Christi fideles ad orandum pro se, suasq; preces & intercessiones vicissim repromittit ipsis: Imò Deus ipse intercessionibus Sanctorum vti præcepit *Iob* 42. ℣ 8. vbi amicos Iobi ita alloquitur: *Ite ad seruum meum Iob, & offerte ei holocaustum pro vobis, Iob autem seruus meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia.* Et *Genesis cap:* 2. ℣ 1. Abimelechum: *Nunc ergo redde viro suam vxorem, quia Propheta est, & orabit pro te.* Et *Psal:* 31. ℣ 7. Rex & Propheta Dauid suo exemplo omni excusatione Lutheranorum maiori, hoc comprobat, dum veniam suæ iniquitati intercessione Sanctorum postulat his verbis: *Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.* Hinc colligo cum Sancto Hieronymo contra Vigilantium: *Si Apostoli, Martyres, & alij Sancti viri adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti, quanto magis post coronas gloriosas & triumphos?*

Secun-

Secundò: Authoritate Sanctorum Patrum, Nazianzeni, Ambrosii, Chrysostomi, Augustini, & quotquot eum secuti sunt, totiusq; Ecclesiæ, quæ errare non potest, consensu.

Tertiò, Vtilitate & fructibus ex intercessione Sanctorum quotidie prouenientibus: sic alij huius vel illius Sancti Patroni apud Deum intercessione, sanitatem, alij mentis illustrationem, alij alia dona à Deo Optimo Maximo obtinent. Confirmatur idem ex concessione Hæreticorum, qui finitis concionibus suis, semper consueuerūt pro conseruatione Ecclesiæ, salute patriæ, communi calamitate auertenda Deo preces offerre. Item pro infirmis, peregrinantibus, captiuis, apud Deum intercedere. Quodsi itaq; suis precibus pro alijs pondus inesse putant, cur idem Sanctis in perpetua visione Dei viuentibus denegant? Nihil certè habent quod hîc respondere possint, nisi quod dicant Sanctos in cælo preces nostras exaudire non posse: idque ex illo Isaiæ cap: 63. ℣ 16. euincere conantur: *Abraham nesciuit nos, & Israel ignorauit nos.* Verùm satis debilis obiectio hæc est, & pugio plumbeus: Sancti quippe nihil sciunt de nobis, nec quid agamus cognoscunt, naturaliter, ex se, & absq; reuelatione. Habent verò probè statū nostrum sibi cognitum, precesq; nostras exaudiunt reuelante Deo, vel Angelis, vt qui semper nobiscum sunt, nobis inseruiunt, & de salute nostra sollicitantur. Idem qui reuelabat Samueli omnia quæ erant in corde Saulis 1. Reg: cap: 9. Idem qui detegebat Elisæo omnia Secreta Regis Syriæ 4. Reg: 6. & ea quæ à famulo absente gerebantur. Idemq;: Qui Petro Apostolo occultam fraudem Ananiæ & vxoris eius manifestârat Act: 5. Idem deniq;: qui Prophetas omnia futura tanquam præsentia hîc in terris cognoscere volebat.

Idem eti-

...in etiam similia Sanctis suis in cælo secum habitantibus reuelare, detegere, manifestare, & ad cognoscendum proponere potest.

QVINTO.

De veneratione Reliquiarum.

PRæterea Reliquias Sanctorum demortuorũ venerantur Catholici, non superstitione vlla, quasi eæ exhibitam sibi venerationem perciperent: sed propterea, quia vasa & organa fuerunt, quibus Sancti ad varia bona opera vsi sunt; adeòq; honor iste redundat in ipsos Sanctos, quorum memoria ab obliuione vindicanda est, nomen eorum viuit in generationem & generationem, sapientiãq; ipsorum enarrare debent omnes populi, & laudem Ecclesia, prout docetur *Eccles*: 44. ℣ 13. Egregiè hoc declarat Diuus Hieron: con: Vigilantium: *Nos autem* (inquit) *non dico Martyrum Relliquias, sed ne Solem quidem & Lunam, non Angelos aut Archangelos, non Cherubim, non Seraphim & omne nomen quod vocatur, in præsenti sæculo & in futuro colimus & adoramus, ne seruiamus creaturæ potiùs quàm creatori, qui est benedictus in sæcula. Honoramus autem Reliquias Martyrum, vt eum cuius sunt Martyres adoremus.* Deinde piam ac vtilem esse hanc venerationem, infinita arguunt miracula, quibus Deus suorum sanctitatem cõprobat & attestatur. Sic ossa Elisæi Prophetę, cùm primùm attigissent mortuum, continuò illum ad vitam reuocârunt. Item *Act*: 5. ℣ 15. Fideles dicuntur infirmos suos in plateas exposuisse, vt veniente Petro, saltem vmbra ipsius obumbraret eos, & ipsi sanarentur. Similiter *Act*: 19. ℣ 12. Qui Pauli sudaria & semicinctia attigerunt, à morbis

liberati.

liberati fuerunt. Non commemoro hic alia multa miracula, quæ Deus per Relliquias Sanctorum à tot sæculis in Ecclesia Catholicorum edidit.

SEXTO.

De cultu imaginum.

DE Imaginibus Christi Saluatoris, Beatæ Virginis, & aliorum Sãctorum, quid sentiat Catholica Ecclesia Conciliũ Trident. Se:25. De Inuocatione, Veneratione, Reliquiis Sanctorum, explicat. *Illud verò diligenter doceant Episcopi, per Historias mysteriorum nostræ Redemptionis picturis, vel alijs similitudinibus expressas erudiri & confirmari populum in articulis fidei commemorandis, & aßiduè colendis. Tum verò ex omnibus sacris imaginibus fructum percipi, non solùm quia admonetur populus beneficiorum & munerum, quæ à Christo sibi collata sunt, sed etiam quia Dei per sanctos miracula & salutaria exempla oculis fidelium subijciũtur, vt pro ijs Deo gratias agant, ad sanctorumq; imitationem, vitam, moresq; suos componant, excitenturq; ad adorandum & diligendum Deum, & ad pietatem colendam: imagines Christi, Deiparæ Virginis & aliorum Sanctorum in templis præsertim habendas & retinendas, ijsq; debitum honorem & venerationem impertiendam non vt credatur inesse ijs aliquam dignitatem vel virtutem, propter quam sint colendæ, vel quod ab eis alquid sit petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat à gentilibus, qui in idolis spem suam collocabant, sed quoniam honos, qui illis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ ita repræsentent istæ, vt per imagines quas osculamur, & coram qubus caput aperimus & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudines gerunt, veneremur.* Hucusq; verba Cõcilij: Ex quibus satis apertè constat, quid

& quàm moderatè Catholica Ecclesia de cultu imaginum statuat; vbi simul præoccupatione quadam obiectiones, quæ à Lutheranis, Caluinianis, & aliis Iconomachis afferri possent, diluuntur.

Blasphemiam & iniuriam in Deum, quam nobis obiiciunt, optimo iure in eos retorquere possumus cum Sancto Ambrosio Serm: 1. de Sanctis: *Quisquis honorat Sanctos, honorat & Christum, & qui spernit Sanctos, spernit & Christum.* iam subsumo. Atqui Catholici honorant Sanctos, Ergo honorant etiam Christum, Lutherani verò spernunt SS. Ergo spernunt etiam Christum. Et cum sancto Hieronymo Epist: 53. ad Ripar: *Honoramus seruos, vt honor illorum redundet in Dominum.* Quæ ratio ex Analogia serui & Domini desumitur. quemadmodum enim Dominus per seruum honoratur, & è contrario: Iniuria quæ seruo infertur, Domino per seruum illata esse censetur. Ita etiam honor Sanctis tanquā seruis Dei oblatus, ipsi Deo offertur. Contumelia verò Sanctis, quos amicos Dei & hæredes Christi esse certum est, irrogata, ipsi Deo illata esse intelligitur. Eo autem ipso, quo isti Iconomachi imagines Passionis, & aliorum Mysteriorum Christi & Sanctorum contemnunt & execrantur quid aliud faciunt, quàm quod ipsos, quorū memoria hic repræsentatur, contemnant & execrentur? Si enim is qui Principis statuam vel imaginē dehonestat, in ipsum Principem peccat, pænamq; læsæ Maiestatis incurrit, quantò magis ille qui Diuinam & Amicorū eius Maiestatem hoc ipso offendit? Testis huius rei luculentissimus, inter alia est imago Sacrosanctæ Trinitatis in Polonia Warsauiæ (vt alia exotica exempla taceamus) ad ædes S. Ioannis asseruata, ex qua, cùm à quodam pullo Lutheri, sub initium belli Prussici Braunsbergæ in Prussia aliquot ictibus glo-

bus globorũ transuerberaretur, sanguis largissimè m-

Item, Beatissimæ Virginis Częstochouiæ in Polonia existat, & manibus sancti Euangelistæ Lucæ picta esse creditur, cuius facies à milite bis ferro læsa, adhuc vulnerũ quasi cicatrices retinet, quæ nullius pictoris penicillo, quamuis sæpius tentatum, obliterari potuerũt, prætereaq; tot & tam apertis claret miraculis, vt ea etiam ab ipsis Hæreticis finitimis negari nequeant. Fatentur & deprædicant hoc tot cæci qui visum, surdi qui auditum, debiles qui membrorum firmitatem, obsessi à dæmonijs liberati, & innumeri alij ægroti, qui ad præsentiam huius imaginis, pristinam sanitatem receperunt.

Denique si Lutheranis licitum Protoplasti Lutheri, Philippi Melanchtonis, & aliorum imagines varia & multiplici in libris suis pictura venerari, quare non etiam Catholicis Christi Domini & Sanctorum imagines honorare liceat?

SEPTIMO.

De Sacramentis.

CAtholica Ecclesia septem tenet Sacramenta, videlicet, *Baptismum*, *Confirmationem*, *Eucharistiam*, *Pænitentiam*, *Ordinem*, *Extremam vnctionem*, & *Matrimonium*. prout ex Apostolorum, Sanctorumq; Patrum antiquissima traditione acccepit: de qua supra in Ratione præcedenti sub hoc Titulo.

Ex his Sacramentis Lutherani, pro libertima, quam in omnibus fidei articulis sibi vsurpant, administratione, duo Sacramenta, videlicet Baptismum, & Eucharistiam (nonnulli addunt Pænitentiã) cæteris reiectis tantùm agnoscunt.

quo au-

quo autem fundamento hoc faciant, nondum satis liquet. Nam Scripturam sibi patrocinantem non habent, vtpotè quæ nullum Sacramentorum numerum definit. Ostendant quod maius est, ipsāmet Eucharistiam, vel Baptismum, vel Absolutionem vllibi Sacramenta nominari. Nos verò Matrimonium esse Sacramentum, & quidem magnum Sacramentum probamus, Ephes: 5. ℣ 31. *Propterea homo relinquet Patrem & Matrem, & adhærebit Vxori, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est.* Præterea reliqua Sacramenta, quæ ab ipsis reijciuntur, in sacris literis (quamuis Sacramenta non vocantur, quod cum Eucharistia & Baptismo commune habent) expressè fundata demonstramus Sacramentum Confirmationis, seu Chrismatis stabilitur *Actor*: 8. ℣ 15. & 17. & 19. Ad quod respicit Hieronymus in Dialog: con: Lucifer. *Exigis vbi scriptum sit? in Actis Apost: sed etiamsi Scripturæ Authoritas non subesset, totius orbis in hanc sententiam consensus instar præcepti vim obtineret.*

Sacramentum Ordinis fundatur *in cap* 4. ℣. 14. 1. *Epist: ad Timoth. Noli negligere gratiam quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum. Et 2. ad Tim: cap: 1. ℣ 6. Admoneo te, vt resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum.*

Sacramentum Extremæ Vnctionis probatur ex Epist: *Iacobi cap: vlt. Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in Nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmū, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Deinde Traditiones allegare pro se non possunt, cùm eas non agnoscant, & quamuis allegarent, nos vicimus: siquidem militant pro nobis, vt supra demonstratum ex Sancto Augustino.

Sunt qui numerum binarium hoc argumento euincere conen-

re conentur: Quot fuerunt Sacramēta Veteris Testamenti, tot etiam Noui Testamenti esse debent, Sed Veteris Testamenti duo tantùm fuerunt Sacramenta. Ergo.

Respondeo Maiorem non esse veram, Minorem falsam, conclusionem nullam.

Ad Maiorem dicimus, omninò non sequi tot debere esse Sacramenta Noui Testamenti, quot fuerunt Veteris. Multa enim sunt in Noua lege, quæ in veteri lege vix fuerunt adumbrata. Et vice versa, sæpè vnam eandemq; rem Noui Testamenti, varijs & diuersis Typis præfiguratā fuisse constat: sic etiā si Veteris Testamenti Agnus Paschalis, & esus panum propositionis fuerint duo distincta Sacramēta, vtrumq; tamen Sacramentum Eucharistiæ repræsentabat.

Minorem arguunt SS. Patres, qui sex Sacramenta Veteris Testamenti numerant: Primò Circumcisionem, quæ repræsentabat Baptismū. Secundò, Agnum Paschalem. Tertiò, Esum panum propositionis, quæ duo Typi & figuræ erat Eucharistiæ. Quarto, Purificationem ab externis immunditijs. Quintò, Expiationes à peccatis, quibus præfigurabatur Sacramentū pœnitentiæ. Sextò, Consecrationem Sacerdotū, quę figuram sacri Ordinis exhibebat.

Carent itaq; Lutherani omni fundamento, tum Scripturæ, quam, cùm nullum certum numerum determinet, allegare nequeunt, tùm Traditionum, quas non agnoscunt. Catholici verò præter hoc, quòd Sacramenta eorum in sacris literis fundata sunt, perpetua Ecclesiæ Traditione se tuentur: semper enim, & multis sæculis, antequam vel cogitatum fuit de Luthero, in Ecclesia traditum & creditum est, septem esse nouæ legis Sacramenta: huic Traditioni acquiescunt, secundùm illud Apostoli: *State, & tenęte Traditiones quas didicistis*; quod libenter inculco.

OCTA-

De Communione ſub vtraq; ſpecie.

SAcrilegium Catholicos committere ſuis perſuadent Lutherani, quaſi contra expreſſam Chriſti conſtitutionem, Laicos altera parte Sacramenti priuarent. Verùm ſine omni veritatis ratione, quod vel vnico hoc argumento euincere poſſum.

Quocunq; modo ipſe Chriſtus, ipſi Apoſtoli, SS. Patres, & vniuerſa Eccleſia à multis ſæculis Sacramentum Euchariſtiæ administrauit, eo modo etiam hodie adminiſtrare licet.

Atqui ipſe Chriſtus, ſancti Apoſtoli, ſancti Patres, & vniuerſa Eccleſia à multis ſæculis Sacramentum Euchariſtiæ Laicis ſub vna ſpecie adminiſtrauit: Ergo etiam hodie ſub vna ſpecie, videlicet Panis, Sacramentum Euchariſtiæ Laicis adminiſtrare licet.

Minor de Chriſto Domino legitur *Luc:* 24. quòd in peregrinatione Emauntica duobus diſcipulis Euchariſtiam ſub vna ſpecie panis duntaxat porrexerit: ſicut iſtum locum, de vera cõmunione Euchariſtica, ſancti Patres *Auguſtinus, Hieronymus, Chryſoſtomus, Theophylactus*, & multi alij explicant. Deinde Sanctos Apoſtolos ſub vna ſpecie laicis hoc Sacramentum adminiſtraſſe, ex diuerſis ſcripturę locis conſtat. ſic *Acto:* 2. ℣ 42. *Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorũ & communicatione fractionis panis, & oratione.* Vel vt Syrus vertit: *Communicabant in precibus & fractione Euchariſtiæ.* & *Act:* 20. ℣ 7. *Vna autem Sabbati cùm conueniſſemus ad frangendum panem.*

Præterea poſt tempora Apoſtolorum, vnam ſpeciem fuiſſe in vſu, teſtantur SS Patres ſupra ad idem propoſitum citati. Deniq; vniuerſam Eccleſiã à multis ſæculis ſub vna

 ſpecie.

ſpecie laicis communicaſſe probatur exinde, quia more receptum fuit, vt hoſtia conſecrata daretur Chriſtianis domum deferenda, vel etiam peregrè aſportanda, quo ſe tempore perſecutionis, quando opus eſſet, ad Martyrium præparare poſſent. At vinum conſecratum ipſis ſimul fuiſſe datum, nullibi legitur. Hunc morem vetuſtiſſimum, Euchariſtiã ſub vna ſpecie diſpenſandi, iuſtis de cauſis retinuit Eccleſia Catholica, tum quia multi ſunt naturâ abſtemij, qui vſum vini ferre non poſſunt; tum, quia multis in locis non poteſt haberi vinum, præſertim in tanta copia, vt multis hominum millibus ſufficeret: tùm vt Catholici diſcernerẽtur ab Hæreticis Huſſitis, vtramq; ſpeciem ad ſalutem neceſſariam eſſe vrgentibus, de quo decretũ eſt in Concilio Conſtantienſi; quemadmodum & antea ſub Gelaſio Papa vtriuſq; ſpeciei vſus præceptus erat, ob eandẽ rationẽ, ſcilicet, vt à Manichæis, qui à vino abhorrebant, ſecernerentur. His accedit illa ratio. Quod cuiuſcunq; rei nullum expreſſum reperitur in Verbo Dei mandatum, illius diſpoſitio libertati Eccleſiæ relicta eſſe cenſetur. Sed ne Sacramentum Euchariſtiæ ſub vna ſpecie poſſit adminiſtrari, nullibi prohibitum: Et quod ſub vtraq; ſpecie præciſè adminiſtrari debeat, nullibi præceptum & mandatum inuenitur. Ergo illius diſpoſitio libertati Eccleſiæ relicta eſſe cenſetur.

Minorem varijs modis infringere conãtur Lutherani, ſed vanus impetus; Potiſſima pars ad inſtitutionem ipſam cõfugit, dicitq; Sacramentum Euchariſtiæ ita debere adminiſtrari, quemadmodum à Chriſto inſtitutum. At inſtitutum eſt ſub vtraque ſpecie videlicet panis & vini. Ergò etiam ſub vtraque ſpecie debet adminiſtrari: inſtitutionem enim Chriſti vim præcepti habere & abſolutam neceſſitatem im-

tem im-

tum importare. Nos reſpondemus ad Minorem diſtinguẽdo Euchariſtiam, quatenus pro Sacrificio, & quatenus pro Sacramento accipitur; & dicimus: Inquantum Euchariſtia pro Sacramento ſumitur, omninò propter expreſſum Chriſti mandatum conſiſtens in his verbis: *Hoc facite in mei commemorationem*, vtramque ſpeciem eſſe neceſſariam. Inquantum verò ſumitur pro Sacramento, Euchariſtiam ſub vna ſpecie ſaluari poſſe. Subſtantia enim Sacramenti Euchariſtię eſt Corpus & Sanguis Chriſti, quod vtrumq; eſt etiam ſub vna ſpecie, & ſub vnius particulæ minimæ ſpecie. Alij vel maximè tripudiare videntur in ijs verbis cap: 6. ℣ 54. Ioannis: *Amen, amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis: qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.* Sed neq; hinc præceptum de Euchariſtia ſub vtraq; ſpecie ſumenda eruere poſſunt. Præcipitur quidem à Chriſto in Sacramento Euchariſtiæ, & corporis & ſanguinis ſumptio, quod & Catholici omninò volunt: Non verò mandatur, vt hoc & ſub ſpecie panis, & ſub ſpecie vini fiat. Imò vnam ſpeciem, videlicet, panem ad hoc ſufficere, ipſe contextus arguit. Ita enim præcipit Chriſtus: *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me. Hic eſt panis qui de cælo deſcendit, non ſicut patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt. qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Eodem modo ad alia Scripturæ loca, quæ ab Hæreticis afferuntur, reſpondetur: Ea quidem præcipere manducationem corporis & bibitionem ſanguinis Chriſti, verùm nullibi hoc ſub vtraque ſpecie præcipi, cùm poſſit fieri ſub vna. Deniq; ex propria conceſſione Lutherana, quam optimè concipiunt; ſtatuunt enim nobiſcum, ſe in venerabili Sacramento Euchariſtiæ ſub hoſtia conſecrata, ſcilicet ſpecie panis,

cie panis,

cie panis, accipere verum ac viuum corpus Christi natum ex MARIA Virgine; vi huius concessionis, sic concludo: Quicunq; in Venerabili Sacramento Eucharistiæ, sub specie panis consecrati accipit verũ ac viuum corpus Christi natũ ex MARIA Virgine, ille simul cum corpore totum Christum accipit (nisi fortè corpus exanime vel exsangue, quod & absurdum, & blasphemum foret dicere, se accipere putarẽt) Atqui Catholici in Sacramento Eucharistiæ sub hostia consecrata (quod concedunt Lutherani) accipiunt verum ac viuum corpus Christi natum ex Maria Virgine: Ergo etiam totum Christum cum corpore accipiunt.

NONO.

De Transsubstantiatione.

POst Consecrationem in Venerabili Eucharistiæ Sacramento, panem & vinum re uera ac substantialiter mutari in corpus & sanguinem Domini, adeòq; Christum Dominum vt verum Deum atque Hominem ibi verè ac realiter præsentem esse, docet Catholica Ecclesia, quæ in ea expressis, clarissimis, & immotis verbis Christi Domini in institutione huius Sacramenti nititur. Omnes siquidem Enangelistæ, vno ore verba Domini sic efferunt: HOC EST CORPVS MEVM. & *Ioan*: 6. ℣ 15. cùm in præcedentibus, de naturali & spirituali manducatione esset locutus, incipiens de sacramentali manducatione tractare: *Panis* (inquit) *quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita.* Et porrò in ver: 24. *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.*

His acce-

His accedit testimonium Apostoli 1. ad Cor: 20. ℣ 16. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonné communicatio sanguinis Christi est, & panis quem frangimus, nonné participatio corporis Domini est.* Verba certè tam perspicua, & Transsubstantiationem euidentissimè importantia, vt etiam ipse Lutherus, antequam heroicus iste spiritus, quem ipsius discipuli iactant, eum inuaderet in Epistola supra ad Argentoratenses citata, fateri cogatur: se quidem Transsubstantiationem, vt Papatui ægrè faceret, negare libenter velle, modò tot Scripturæ loca apertè non essent in contrarium.

Hinc indubiè sequitur Catholicos rectè & piè facere, dum Christum Saluatorem tanquam verum Deum & hominem in Sacramento Eucharistiæ verè ac realiter præsentem venerantur & adorant. Vbicunque enim Christus verè ac realiter præsens est, ibi adorari potest ac debet. Sed in Eucharistia est. Ergo. Lutherani quidem dicunt extra vsum manducationis & bibitionis hoc Sacramentum non valere, sed nunquam adhuc probârunt. Et, Quomodo vel quando realis ista præsentia Christi, quæ in, sub, & cum pane & vino est (vt illorum formulis ineptis vtar) à consecrato pane vel vino recedit? Nullibi enim hoc scriptum inueni. Confunduntur itaq; & confutantur hoc dilemmate.

Aut statim post recitata verba Consecrationis, sub panis & vini speciebus Corpus & Sanguis Christi præsens est, aut non est?

Quodsi est, necessariò sequitur etiam extra vsum Corpus & Sanguinem manere; siquidem separatio seu secessio præsentiæ Christi probari non potest: si verò non est apertè mentitur minister, dum eleuando, vel tangendo hostiam ait: Hoc Est Corpus Mevm: quod tamen corpus Christi nondum esset, si demum in vsu præsentia Christi interueniret.

De Sacrificio Missæ.

SAcrificium Missæ, in quo Corpus & Sanguis Christi sub specie panis & vini per Sacerdotem Deo in recognitionem supremi Dominij, gratiarum actionem pro beneficijs acceptis, impetrationem donorum ac beneficiorũ nouorum, expiationemq; peccatorum offertur in Ecclesia, necessarium esse docet Ecclesia Catholica sequentibus argumentis. *Primò* ex typis & figuris Veteris Testamenti: in Veteri enim Testamento fuerant tres potissimùm figuræ & vmbræ celebrationis Eucharistiæ.

Primò, Oblatio panis & vini à Melchisedecho facta. Secundò, Agnus Paschalis. Tertiò, Iuge sacrificium: sed hæc reuera fuerunt sacrificia: Ergo multò magis illud, quod per eas adũbratum & præfiguratũ fuit: semper enim vmbra & figura est imperfectior eo quod repræsentatur. *Secundò*, ex confirmationibus Noui Testamenti; sic enim *Apostolus Paulus illud Psal:* 109. ℣ 4. applicans ad Christum *in Epist: ad Hebr: cap:* 7. ℣ 17. *ait: Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinẽ Melchisedech.* Hîc tria de Christo notanda: primò illum appellari Sacerdotem: secundò Sacerdotem in æternum. tertiò, secundum ordinẽ Melchisedech. Sacerdotium eius quod attinet, sciendum, quòd Deus clementissimus, exspirãte Sacerdotio Veteris Testamenti, voluerit Nouum Sacerdotium per IESVM CHRISTVM Filium suum instituere, quum in ara crucis Patri suo cælesti, cruentum pro nobis sacrificium, in nostram redemptionẽ offerret. Ne autẽ cum oblatione huius sacrificij cruenti desineret simul sacrificium seu sacerdotium, quod, vt ex secundo

cundo

cundo notabili constat, æternum esse debebat; ipse in vltima Cœna post celebratum Veteris Testamenti Pascha, incruentum & ad finem mundi duraturum sacrificium, corpus & sanguinem suum offerendo, instituit, seq; æternum Sacerdotem declarauit, atq; Apostolis corpus & sanguinem suum, sub visibilibus symbolis porrigendo, eos nouos Sacerdotes ordinauit, & vt ipsi cum suis in Sacerdotio successoribus consimiliter sacrificium in posterum Deo offerent, præcepit, his verbis: Hoc Facite In Mei Commemorationem. Tertiò, cùm deberet esse Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, requirebatur vt etiam isti figuræ & vmbræ satisfaceret. At Melchisedech obtulit panem & vinū pro sacrificio: Voluit itaq; Christus corpus & sanguinem sub specie panis & vini offerre, & suis offerendum relinquere. *Tertiò*, ex consensu Sanctorum Patrum, quorum testimonia vide in ratione præcedenti.

Hîc Diabolus, cùm omnibus fidei veræ articulis infensissimus hostis, tum præsertim huic Doctrinæ de Sacrificio incruēto corporis & sanguinis Christi, vtpotè, ex quo vberrimos fructus animarum ad omnes fideles redundare nouit, idem ex cordibus hominum euellere, imò si posset ex vniuerso Christiano orbe exterminare, omnibus viribus nititur. Nec etiam omninò inanes ipsius conatus abiêre in ijs, qui aurem illis dederunt. Testatur hoc suoipsius exēplo Lutherus, qui disertè Tomo sexto Ihenen: in libello de Missa angulari, fatetur se nocte quadam post multam cum Diabolo disputationem, quamuis ipsi vehemēter restitisset conuictum ac superatū, Missam non esse necessariam consensisse, eamq; se in gratiam illius sustulisse, Als wie er zur nacht mitt vielem disputieren vom Teuffel vberwunden werden, vnd ihme zu gefallen die Messe habe fallen lassen.

Res licèt horrore & abominatione plena, tamen plurimos adhuc hodie non potest deterrere, quin Lutheri patrocinium suscipiant, & pro supprimendo immani sacrilegio, aliquod obiectiones fumo leuiores obtendant, dum sic ratiocinantur:

Primò: *Quidquid est Sacramentum, non potest esse simul Sacrificium.*

Atqui Eucharistia est Sacramentum: Ergo non potest esse Sacrificium.

Maiorem probant, Quandoquidem Sacramenta & Sacrificia sunt diuersa: In Sacrificio enim à nobis Deo aliquid datur: in Sacramento verò aliquid à Deo accipimus. Nos negamus Maiorem, & dicimus eandem rem posse simul esse & Sacrificium & Sacramentum: Sic Agnus Paschalis verum erat Sacrificium, & simul Sacramentum Hebræis. Sic hostiæ pacificæ erant sacrificium, tamen eorum pars comedebatur à Sacerdotibus tanquam Sacramentum.

Deinde dicunt Sacrificium cruentum Christi, pro peccatis nostris expiandis esse sufficientissimum, eiusq; vim & efficaciam esse infinitam, ac proinde non opus esse alio Sacrificio. Nos concedimus totum ritè intellectum, & vltro largimur sacrificium Christi, cruentum esse sufficientissimũ etiam pro mille Mundis redimendis, nam semel moriendo satis fecit Patri suo Cælesti adeò abundè, vt nõ opus sit alio sacrificio cruẽto, vt adhuc semel moriatur, vel denuo alius Christus pro nobis crucifigatur. Verùm inde non sequitur, vt media quibus nobis salutarem huius sacrificij fructum applicare possimus negligamus, vel vt immemores simus tanti beneficij: vtrumq; autem fit per sacrificium Missæ, & alia ad hoc ordinata in Ecclesia remedia.

VNDE-

VNDECIMO.

De Iustificatione Hominis coram DEO.

DVplici modo Iustificatio à Catholicis corã Deo consideratur, Primò pro acquisitione iustitiæ, quà is quē Deus iustificat dicitur Iustitiam acquirere; & hæc appellatur Prima iustificatio: secundò pro augmento iustitiæ acquisitæ, quæ Iustificatio secunda dicitur. Prima illa iustificatio, quæ nihil aliud est quàm translatio hominis de statu peccati in statum gratiæ, consistit partim in expulsione peccatorum: partim in infusione seu acquisitione Iustitiæ.

Ad hanc obtinendam præter alias aliquas virtutes spirituales, quales sunt, Timor, Spes, Charitas, maximoperè fides tanquam fundamentum reliquarum omnium, & totius salutis nostræ basis requiritur. Sine fide enim nemo Deo placere potest. dicitur autem hæc iustificatio merè gratuita, scilicet gratis concessa, propterea quia nihil eorum quæ ipsam præcedunt, siue Fides, siue opera aliarum virtutum enumeratarum eam iustificationem, scilicet iustitiæ infusionem promerentur de condigno, sed tantùm de congruo (vt loquuntur Thelogi) hominem ad eam disponēdo: de hac iustificatione loquitur Apostolus dum dicit: Si gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia non esset gratia. Item in Epist: ad Roman: 3. *Arbitramur hominem iustificari per fidem sine operibus legis*, & quotquot scripturæ loca ineptè ab aduersariis, ad destruendam de bonis operibus doctrinam cumulantur, de hac iustificatione prima intelligenda sunt. Patet hoc expresse ex mente Apostoli refutantis Iudæos & Gentiles, qui confidebant iustitiam coram Deo puris naturæ viribus consequi & promereri.

Ad ſecundam autem iuſtificationem, quæ ſumitur pro augmento Iuſtitiæ ſemel acquiſitæ, non ſufficere ſolam fidem, ſed præter eam bona etiam opera neceſſariò requiri ſtatuit Eccleſia Catholica. Et huius ſententiæ ſolidiſſima fundamenta habet *in capite 2. Epiſt: Iacobi ℣ 14. cum ſequentibus* vbi manifeſtè dicitur *Fidē ſine operibus non prodeſſe, &c. Et eiuſmodi fidem ſine operibus eſſe mortuam: Abrahamum ex operibus iuſtificatum eſſe, Fidem in opere iuſtificationis cooperatā fuiſſe in operibus Abrahami; ex operibus Abrahami fidem conſummatā eſſe.* Deniq; concluditur *ex operibus iuſtificari hominem, & non ex fide tantùm ℣ 25.* Tam apertæ veritati cùm nihil haberet Lutherus quod opponeret, ſuoſq; lacertos ad infringēdā hāc veritatē impares ſentiret, eius authoritatem impugnare cæpit, eamq; ſtramineam appellauit, & cum multis alijs Veteris & Noui Teſtamenti libris ex Canone expunxit: de quo ſupra. Diſcipuli verò eius rem paulò exactiùs trutinantes, bona opera quidem à iuſtificationis negotio non omninò remouent, verùm cum Fide tanquam cum cauſa coniungunt, aiuntq; Bona opera ex fide tanquā effectûs ex cauſa procedere, imò non minus fidem ſine operibus, quàm ſolem ſine calore eſſe poſſe. Idem ſatis clarè ex fundamentis ſupra poſitis refutatur: opera enim propter quæ iuſtificatus fuit Abraham non conſiderantur ab Apoſtolo in eo tanquam effectus fidei, ſed tanquam cauſa efficiens per comparationem ad conſummationem. Denique ſi bona opera ſe haberent ad fidem tanquam effectus inſeparabiles ad cauſam, cur ergo iſti ſeparant, & cum Hæreſiarcha ſuo dicunt *ſolam fidem iuſtificare?* loquuntur ſanè varijs linguis.

DVODE-

DVODECIMO.

DE BONIS OPERIBVS.

HOminem in gratia Dei constitutum bona opera quæ apud Deum meritoria sint vitæ æternæ, facere posse rectè credit Ecclesia Catholica. Testem huius rei omni exceptione maiorem habet Sacram scripturam, in qua toties vita æterna homini iusto promittitur tanquam merces seu præmium. *Matth.* 5. ℣ 15. *Gaudete & exultate, quia merces vestra copiosa est in cælis.* *Et Cap:* 20. ℣ 8. *Voca operarios & redde eis mercedem.* *In Epist: ad Roman: cap:* 2. ℣ 9. *Deus reddet vnicuiq; secundùm opera sua.* *Ibidem* ℣ 14. *Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* 1. *Cor:* 3 ℣ 8. *Vnusquisq; propriam mercedem accipiet secundùm laborem.* *Ad Galat:* 6. *Qui seminant in spiritu, metent vitam æternam.* Ex his omnibus abundè patet vitam æternã nobis dari instar mercedis & præmij pro bonis operibus. Quemadmodum enim nulli triumphus ante victoriam, aut merces ante laborem assignatur; ita neq; nobis corona gloriæ cælestis, nisi priùs legitimè certauerimus, vt ait B. Paulus: nec merces illa magna nimis & præmium æternum, nisi in vinea Domini pondus diei & æstum portauerimus, tribuetur: non quòd nostra opera ex se & per se sint digna æternæ gloriæ retributione, vel quod æqualis proportio sit inter opera nostra, quâ talia, & mercedem illam (non enim cõdignæ sunt passiones huius temporis ad futuram gloriam) sed quatenus procedunt ex Diuina gratia, fiuntq; ab homine eleuato ad supernaturalem statum gratiæ, vt loquuntur Theologi, habent proportionem, cùm gratia sit semen gloriæ. Et iuxta Apostolum 1. *Cor:* 4. ℣ 17. *Momentaneum & leue tribulatio-*

*nis nostr*æ

nũ nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Ita *nisi Dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma & Gomorrha fuissemus.* Neq; hîc excludimus, vel quidquam detrahimus merito Christi, vti nos conuitiantur Lutherani, sed tanquam fundamentum & basim, cui omnia nostra opera innituntur, præsupponimus. Quod enim bona nostra opera Deo grata & accepta sint, vitæq; æternæ meritoria, id omne Meritis Christi acceptum referimus: Si enim Christus pro nobis Passus non fuisset, opera nostra qualiacunq; fuissent, Deo tamen grata vitæq; æternę meritoria non fuissent. Eandem veritatem ex opposito optimè colligunt Catholici. si enim mala opera puniuntur æterna damnatione, cùm *stipendium peccati sit mors*, certè infallibiliter sequetur, bona opera æternæ vitæ retributione compẽsari: Boni enim Principis est non solùm punire malos, verùmetiam præmijs ornare bonos. Telũ ineuitabile Lutheranis, nec ex mea pharetra productum, sed ab ipso Christo in eos emissum *Matth:* 25. ℣ 24. *& sequentib. Tunc dicet Rex his qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnũ à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare; sitiui, & dedistis mihi bibere: Hospes eram, & collegistis me; nudus eram, & cooperuistis me, &c. Postea dicet & illis qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: nudus eram & non cooperuistis me, &c.* Hic arrigant aures Lutherani, atq; percipiant causam; cur illi benedicti, hi maledicti pronuncientur: illi in regnum cælorum, hi in ignem æternum mittantur? Aduertant ad particulam causalem Enim; & deprehendent tam causam damnationis horum, quàm saluationis illorum esse opera, secundùm quæ cuilibet retributio fiet.

Non ob-

Non obſtat quod dicunt, Vitam æternam vocari hæreditatem, ac proinde non poſſe dari tanquam mercedem; nam merces propter laborem, hæreditas verò gratis venit. Nos dicimus eam & hæreditatem & mercedem meritò vocari: nam & Denarius diurnus dicitur, & hæreditas filiorum Dei. Vtrumq; conciliat Apoſtolus ad Coloſ: 3. ℣ 23. *Quodcunq; facitis, ex animo operamini ſicut Domino & non hominibus, ſcientes quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis.* Sciunt Lutherani, vel ſcire debent, duplicem eſſe hæreditatem: Aliam *merè lucratiuam*, quæ ſine vllo onere hæredi relinquitur: Aliam verò *oneroſam*, quæ cum conditione vel onere quodam ad hæredem tranſit; verbi gratia, relinquitur alicui ampla hæreditas ſub ea tamen conditione, vt voluntati Teſtatoris in Teſtamento comprehenſæ ſatisfaciat, qui iuſſit vel Domum alteri exſtruere, vel fundi alicuius præſtationem ſoluere, vel tutelæ onus ſubire, ſiue aliquid ſimile. Hoc poſteriori modo ſummus Teſtator CHRISTVS IESVS nobis per modum hæreditatis vitam æternam reliquit, ſub ea videlicet conditione, vt mandatis eius ſatisfaciamus: quod ex loco allato patet. Dicit enim Apoſtolus ad Coloſſenſes: *Accipietis retributionem hæreditatis*: ſed, *operamini ſicut Domino*. Vltimò, obijciunt nos *Lucæ* 17. ℣ 10. *vocari à Chriſto ſeruos inutiles etiamſi omnia fecerimus quæ præcepta ſunt*; & propterea nil promereri poſſe. At reſpondent Catholici hoc procedere de nobis, quatenus ex viribus noſtris æſtimamur. Eo enim reſpectu prorſus inutiles & inepti ſumus ad ea facienda, quæ Deus præcipit. Vtiles verò efficimur per gratiam Dei nobiſcum cooperantem, & hoc eſt quod idem Apoſtolus dicit 2. Cor: 3. *Fiduciam talem habemus per Chriſtum ad Deum, non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra*

tia nostra ex Deo est. Deinde respectu Dei, cui nihil vtilitatis operibus nostris accedit, nec ipse nostris operibus indiget, rectè inutiles dicimur. Respectu verò nostri, rectè vtiles dici possumus: *Qui enim bona egerint, ibunt in vitam æternam,* ait D. Athanasius in suo Symbolo.

Verùm non miror Lutheranos seruorum inutilium nomen affectare, cùm opera bonorum seruorum fastidiant. Ego tamen & Catholici omnes *seruiemus Domino,* vt aliquando vox illa Christi (Matth: 25.) sonet in auribus vniuscuiusq; nostrûm: *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.*

DECIMO TERTIO.

DE IMPLETIONE LEGIS.

PORrò quod homo iustificatus non quidem ex viribus suis, sed gratiâ Dei adiutus, possit satisfacere præceptis Diuinis, rectè tenet Catholica Ecclesia, & fundatur primo in varijs scripturæ locis. *Sic Apostolus ad Rom: cap: 7. ℣ 13.* asserit. *Non auditores legis esse iustos apud Deum, sed factores legis iustificari.* Hic duo notanda: 1. Iustitiam nostram non ex mero auditu fidei, vel ex sola fide dependere: 2. Iustificationem nostram in factione seu impletione legis consistere: Vnde colligo, si iustificatio nostra in impletione legis consistit, vtiq; ipsa impletio erit possibilis. Quodsi enim impletio ista impossibilis esset, certè Deus illam nobis non imposuisset: nam pro bonitate sua infinita neminem ad impossibilia obligare potest. Idem confirmatur Matth: 29. ℣ 1.. cùm etenim ibi Legisperitus ad Christum venisset, sibiq; viam salutis æternæ monstrari petijsset, Christus eum ad ob-

seruati-

ſeruationem Decalogi remittens: *Si vis ad vitam ingredi* (inquit) *serua mandata.* Hic item duo obſeruanda. *Primò,* iſtum iuuenem ſerio animo indagandi ſalutem æternam Chriſtum adijſſe. *Deinde*, Chriſtum veram viam, quâ ad vitam æternam perueniri poſſit, iuueni demonſtraſſe. Et poſito non conceſſo (quod Lutherani dicunt) iuuenem iſtum erraſſe, dum ſe per bona opera vitam æternam conſecuturum crederet; tamen abſonum eſſet dicere, quod Chriſtus verus ac fidelis Paſtor animarum, qui ad hoc venit in mundum, vt oues errantes in rectam viam reduceret, eum in auia præcipitare, aut ludificare voluerit, quod omnino factum fuiſſet, ſi ipſi falſam, erroneam, & aditu impoſſibilem viam monſtraſſet. At quomodo cogitari hoc poteſt de eo, qui eſt via & veritas? Stabilitur eadem ſententia *Matth*: 11. ℣ 29. vbi Chriſtus dicit: *Tollite iugum meum ſuper vos.* Quod certè non iuberet, ſi eſſet impoſſibile. & *Ioan* 15. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis ea quæ ego præcipio vobis.* Prætereà pro aſſertione noſtra ſic concludo: Si ipſo Deo teſte tales homines inuenti ſunt, qui eum ex toto corde dilexerūt, & in omnibus præceptis eius perfectè ambulauerunt, etiam illud hodie facere nobis non erit impoſſibile. Antecedēs probatur exemplo *Abrahami, Moyſis, Samuelis, Eliæ, Ieremiæ, Dauidis, Ioſiæ, Beatiſſ: Virg: Mariæ, Apoſtolorum,* & multorū aliorum, quorum ſanctimoniam vt imitemur, hortari nos illa poſſunt. 3. *Reg*: 14. *Non fuiſti ſicut ſeruus meus David, qui cuſtodiuit mandata mea, & ſecutus eſt me in corde ſuo.* & 4. *Reg*: 23. ℣ 25. De Ioſia: *Similis ante illum non fuit Rex qui reuerteretur ad Dominum in toto corde ſuo, & in tota anima ſua, & in vniuerſa virtute ſua, iuxta omnem legem Moyſis.* De Zacharia & Eliſabetha: *Erant ambo iuſti ante Deum incedentes in omnibus mandatis & iuſtificationibus Domini ſine querela.* In S. Pauli E

pistolis toties: *Fratres, imitatores mei estote sicut & ego Christi. Sicut socij paßionum estis, sic eritis & consolationis, &c.*

Deniq; si Leges à Deo nobis præscriptæ adimpleri nō possunt, Deus certè crudelis foret, qui tales nobis leges ferret, earumq; obseruationem sub pæna æternæ damnationis à nobis exigeret, quas seruare impossibile esset. Admittant hoc Lutherani cum alijs absurdis.

DECIMVM QVARTVM.

DE PVRGATORIO.

DECIMVM QVINTVM.

DE PRECIBVS PRO DEFVNCTIS.

LOcum aliquem præter Cælum & Infernum dari tertium, in quo animæ defunctorum, quæ neq; in peccato mortali obierunt, nec sine vllo pænæ temporalis reatu decesserunt, vbi propter plenam expiationem, & perfectam ab omni labe purgationē ad tempus pro qualitate delictorū detineantur, eosq; viuentium precibus iuuari posse, Catholica Ecclesia sentit. Contingit enim, vt homini qui mortaliter peccauit, remittatur quidem in hac vita, & culpa simul & æternæ reatus pænæ, reatus verò pænæ temporalis adhuc post mortem remaneat, quam homo omninò, vt satisfiat Iustitiæ Diuinæ exsoluere tenetur: at non potest in cælo, in quo nulla est pæna, nec cruciatus vllus, neq; in inferno, vbi pæna erit sine intermissione & perpetua: restat ergo locus tali expiationi seu purgatorij destinatus, de quo scriptura loquitur.

quitur 1. Cor: 3. *Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Deinde Christus *Matth*: 5. ℣ 25. *Amen dico tibi, non exibis inde, donec persolueris nouissimum quadrantem.* vbi particula *Donec*, non vt Acatholici è suo sensu volunt, perpetuitatem, sed temporalem pænam, ex mente SS. Patrum, denotat. Deinde etiam aliquando euenire potest, vt homo iustus moriatur cum peccatis venialibus (præsertim si subitanea morte præueniatur, neq; habeat spatium cogitandi, aut dolendi de huiusmodi peccatis) atq; sic manet obnoxius pænæ temporali, quæ illis peccatis debetur; certè in tali casu non potest statim admitti ad cælestem gloriam (*nihil enim coinquinatum intrabit in regnum cælorum.*) nec inferni pænas meruit: restat ergo, vt purgatorio igne mundatus, quasi scoriâ depositâ aurum purum euadat. Huc facit & illud, quod nos superstites piè ac vtiliter oremus pro animabus defunctorum: nam profectò ij, qui in cælo sunt, iam non indigent nostro suffragio: ex inferno etiam nulla est redemptio: ergo necessariò concedendus est locus, in quo detentæ animæ precibus nostris iuuari possint. Quod verò vtile sit ac pium, huiusmodi preces fundere habetur: 2. *Macch*: 12. ℣ 43. vbi Iudas Macchabæus, missa Ierosolymam eleemosynâ iussit offerri sacrificium pro peccatis mortuorum, factumq; ipsius approbatur hisce verbis: *Sancta est & salubris cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Taceo iam praxim Ecclesiæ Catholicæ, tot sæculis conseruatam: qua de re supra in Ratione secunda. Quod enim Lutherani dicunt, duo tantùm loca animabus in altera vita destinata, in sacris commemorari, Cælum & Infernum, *Matth*: 25. *Ibunt iusti in vitam æternam, iniusti in supplicium æternum*; nihil obest nostræ sententiæ. Idem enim nos dicimus: se post diē iudicij fore duo tantùm loca, videlicet iu-

ſtorum & iniuſtorum,idq́; per omnem æternitatem; verùm inde non ſequi: ergo etiam nunc plura non dantur. Dicant Lutherani, vbi fuêre animæ eorum qui poſt mortem reſuſcitati ſunt iterum ad vitam; vt anima filij viduæ Sareptanę ab Helia: Filij Sunamitidis ab Heliſæo: Filij viduæ in Nain: & Lazari à Christo, & aliorum ab Apoſtolis reſuſcitatorum. ſanè non in cælo, aliâs non beneficium, ſed pœna fuiſſet iſtis animabus, ex cæleſti beatitudine & vita æterna ad mortalitatem denuo reuocari. Nec etiam in inferno, ex quo propter immobile decretum Dei, nulla eſt redemptio. Supereſt ergo, illas fuiſſe in loco ab vtroq; horum diſtincto.

Denique proprio poſſunt iugulari gladio, hoc modo: Qui aliud docent, aliud publicè faciunt, illi non ſunt audiendi. Atqui Lutherani aliud docent, videlicet, animas defunctorum noſtris precibus non iuuari, nec vllum purgatorium eſſe: aliud veró faciunt, dum ipſi in deductionibus funerum non ſolùm concionibus & collectis vtuntur, verùm etiam poſt conciones denuntiando obitum alicuius defuncti paſſim orant pro ipſius anima hac ferè formula: In Chriſto piè obdormiuit N. cuius animæ Deus propitius eſſe, & in nouiſſimo die, lætam ei cum omnibus fidelibus reſurrectionem largiri velit. Iam dico, ſi ex illorum ſententia animæ ſunt in cælo, precibus his non indigent; ſi in inferno, liberari non poſſunt; quorſum ergo hæ preces? Omninò apparent adhuc veſtigia Catholicæ Religionis, à qua defecerunt. Hactenus in hoc vltimo membro rationis tertiæ, præcipuos fidei articulos examinando, demonſtrauimus Catholicæ Eccleſiæ Doctrinam in verbo Dei fundatam: Lutheranorum verò ex mero Protoplaſti Lutheri cerebro prognatam eſſe.

QVARTA RATIO

PETITA EX

Antiquitate atque Duratione Catholicæ Ecclesiæ, Et Nouitate Lutheranismi.

Ecclesia quæ ab ipsius Christi & Apostolorum temporibus vsq; ad nostrum sæculum sine errore & vlla defectionis interruptione durauit, illa est antiquißima & verißima.
Atqui Catholica Ecclesia Romana ab ipsius Christi & Apostolorum temporibus vsq; ad nostrum sæculum sine errore & vlla defectionis interruptione durauit.
Ergo Catholica Ecclesia Romana est antiquißima & verißima.

Quemadmodum è contrario.

Ecclesia quam inde à temporibus Christi & Apostolorum, vsq; ad Annum à Christo nato 1517. totus terarum orbis ignorauit, nouitatis & falsitatis plena est.
Sed Lutherana à temporibus Apostolicis Orbi ignota, & hoc demum sæculo per Monachum Apostatam introducta est.
Ergo Lutherana Ecclesia est nouißima & falsißima.

Equidem inter primas meæ ad Orthodoxam Ecclesiam conuersionis causas fuit hæc ipsa Ecclesiæ Romanæ duratio & perpetuitas. Nunquam enim mihi persuadere potui ante natum Lutherum tot sæculis, nullam fuisse Ecclesiam veram & infallibilem, in qua homines saluarentur, ad quam Ethnici conuerterentur, sed omnes omninò mortales tot ante Lutherum sæculis æternùm perijsse, cum sine

vera Fi-

vera Fide, & extra veram Ecclesiam salus nemini contingat. Vrgebant me inprimis sacræ literæ tàm Veteris quàm Noui Testamenti, quibus Minor argumenti propositi eximiè probatur. Isa: 40. dicitur: *Verbum Dñi manet in æternũ.* At quomodo in æternum, si tamdiu (vt Lutherani perhibẽt) suppressum latuit? *Isa:62. Nunquam derelicta vocaberis.* Derelicta autem fuisset Ecclesia, si tanto tẽpore quasi emortua iacuisset, *Oseæ 2. Desponsabo te mihi in æternum.* Non aliquot sæculis, non ad tempora Lutheri. Psal: 47. *Deus fundauit eam in æternum.* Psal: 109. *Tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech.* Iam autem Christus non esset sacerdos in æternum, si sacerdotium eius per aliquot sæcula defecisset. defecisset verò, si nulla fuisset Ecclesia: Debuit itaq; omninò Ecclesia esse, in qua Christi sacerdotiũ exerceretur: sed non fuit Lutherana, quæ ante centum & aliquot annos primùm cæpit; nec aliorum Heræsiarcharum, qui certis temporibus contra Romanam Ecclesiam insurrexerunt, & ab illa defecerunt. Relinquitur ergo Romanam Ecclesiam eam fuisse, adhuc esse, & in perpetuũ mansuram esse, in qua æternum Christi sacerdotium permaneat. Idem perspicuè ex multis Noui Testamenti dictis deducitur. Sic Matth: 7. Christus se suamq; Ecclesiam comparat homini sapienti, qui Domum suam super Petram fundat. Quod & ipse apud eundem Euangelistam cap: 16. facto & re ipsa exequitur, dum Apostolorum Principem tanquam Petram firmissimã, Ecclesiæ suæ Fundamentum ponit his verbis: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non præualebunt aduersus eam.* præualuissent autem, si Hæreticorum procellis & fluctibus Ecclesia Christi tot sæculis oppressa delituisset. & Matth: 15. *Omnis plantatio quam Pater meus cælestis non plantauit, era-*

nit eradicabitur. Si itaq; Ecclesia Catholica Romana non esset à Deo plantata, impossibile esset eam tam diu durare potuisse, quin pridem fuisset eradicata & euersa, quod videmus in alijs plantis à Deo non plantatis. Sic plantationem *Simonis Magi* Apostolus Petrus eradicauit: Plantatio *Nestoris*, *Arrij*, quæ tertio statim sæculo post natum Christum viguit, quamuis in tantam altitudinem excreuerat, vt rami eius magnam mundi partem obumbraret, tamen subitò ita exaruit, vt neq; vestigia eius fermè appareant. Item plantatio *Photij*, *Aerij*, *Manichæorum*, *Vigilantij*, *Eunomij*, *Berengarij*, *Hußij*, & aliorum hæresiarcharum, quorum à Christo ad Lutherum ducenti ferè numerātur, cùm à Deo non essent plantatæ, subitò defloruerunt, emarcuerunt, exaruerunt. Sed plātatio Lutheri aruitne? non aruit, dices: imò aruit: nam septimo statim anno eius apostasiæ, cœpit *Zuinglius* suam, & biennio post, *Anabaptistæ* suam plantare, qui maiorē partem Lutheranorum ad se traxerunt; & indies arescit ac deficit, dum potissimę eius partes ad Caluinismum deficiunt: vide Angliam, Scotiam, Belgium, Palatinatum Rheni, Frisiam, Misiam, Marchionatum Brandeburgicū: imò singula etiam Lutheranorum conciliabula & exedras peruise; rarum reperies Prædicantem, qui Augustanæ Confessionis nomine palliatum Caluinismum non vendat ac prædicet. Solam igitur Catholicam Ecclesiam Romanam esse verā illam plantationem à Deo Patre cælesti plantatam vel inde constat, quòd in hunc vsq; diem viguit & floruit, nec ab vllo hæreticorum aut Tyannorum impetu, quamuis Diabolus miris hoc modis tentauerit, conuelli atque eradicari potuit. Hæc est illa, de qua piè ac sanctè loquitur Diuus Augustin: *lib: 2. de Symbolo ad Catech. cap: 6. Ecclesia Catholica contra omnes pugnans oppugnari potest, expugnari non potest: Hæ-*

est: Hæreses omnes de illa exierunt, tanquã sarmenta inutilia de vite præcisa; ipsa manet in radice sua, in vite sua, in charitate sua, portæ inferorum non præualebunt contra eam. Hæc est illa de qua Hieron: in Epist: ad Dam: Papam scribit. *Ego beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior, super illam Ecclesiam ædificatam scio: qui extra hanc domum agnum comederit, profanus est.* Hæc est illa (vt paucis multa dicam) quam vno ore omnes SS. Patres *vnam sanctam* & verè *Catholicam Ecclesiam* tot sæculis clamant, cuius fidem Doctores Ecclesiæ Orthodoxæ, vnanimi consensu professi sunt, cuius veritatem contra hæreticos summâ constantiâ ijdem propugnârunt, quorum testimonia & vniformem de Catholicæ fidei articulis consensum supra in Ratione secunda sat clarè demonstrauimus.

Hinc satis apertè patet Ecclesiam Catholicam Romanã suâ antiquitate & duratione euincere, se & non aliam esse veram & infallibilem Christi Ecclesiam; alias omnes nuper excitatas, non vera Christi ouilia, sed hœdorum à Christo & fidelium grege suamet peruicaciâ sciunctorum casas & receptacula esse. Excutiamus iam Minorem antitheseos nostræ, & perpendamus originem Lutheranæ Ecclesiæ, facillimê deprehendemus illam nihil commune cum Sanctorum Apostolorum & antiqua Ecclesiæ Catholicæ Religione & doctrina habere, sed planè nouam & nuperrimè prognatam esse. Quis enim ignorat Lutheri Doctrinam vel reformationem (deformationẽ rectiùs dixerim) ante centum & octodecim annos Anno 1518. Wittẽbergæ in Saxonia originem sumpsisse. Ostendant Lutherani quisnã proximis ante Lutherum sæculis, ad tempora vsq; Apostolorum & Christi successiuè doctrinam & fidem Lutheri in omnibus vniformiter cum eo professus fuerit. Demonstrẽt

quis ante

quis ante Lutherũ Ecclesiæ istius Filius extiterit, docuerit-ué *ad decisionem controuersiarum fidei & religionis non opus esse visibili iudice; Traditiones non esse tenendas; Petrum non fuisse visibile caput Ecclesiæ Christi, Vicarium & Pastorẽ Oecumenicum, Petrum nunquam Romæ docuisse, vel Cathedrã ibi fixisse; Pontificem Romanum non esse Petri successorem, sed Antichristum & meretricem Babylonicam; Sanctos non esse inuocandos, nec ipsos, nec imagines ipsorum, vllo cultu esse afficiendas; Reliquias ipsorum non esse honorandas; Hominem sine bonis operibus iustificari; Bona opera non esse vitæ æternæ meritoria; Hominem neque cum Dei gratia legem implere posse; Nullum esse Purgatorium; Nulla pro defunctis suffragia esse facienda; Panis & vini in Sacrosancta Eucharistia non fieri Transsubstantionẽ; Nec extra vsum manere verum corpus & sanguinem; Sacrificium Missæ non esse necessarium in Ecclesia, sed horrendam superstitionem & idololatriam; communionem non posse fieri sub vna specie, vel sub specie panis consecrati: non esse verum corpus & sanguinem Christi; duo tantùm & non plura esse Sacramẽta: & quæ præterea sunt eius generis paradoxa*, Lutherani doceant quibus temporibus, in quibus mundi partibus, à quibus Episcopis, Pastoribus, Ecclesiæ Doctoribus hæc ipsorum dogmata simul tradita fuerint, quomodo propagata ad Lutherum & sequaces eius peruenerint. Non credemus illis, si ad castra Hæresiarcharum, quos supra in scenam produximus, transire voluerint; horum enim errores ab vniuersa Ecclesia, SS. Patribus, & Orthodoxis Doctoribus iam pridem damnati sunt.

Hic vbi se iam euadere non posse aduertunt, quasi alis cum Simone Mago assumptis, aliquot transilire ac transuolare sæcula conati Lutheri tempora cum Apostolicis, eiusq; apostasiam & perfidiã cum primitiua illa fide nectũt.

Age, inspiciamus acta sæcula, totamque Christianæ Apostolicæ

postolicæ Catholicæ Fidei ætatem ad primordia recurrendo perlustremus.

De Apostolis & primæuis Euangelij Christiani Prædicatoribus certum est, longè alios, quàm Lutherum eiusque asseclas, Fidei suæ doctrinæq; hæredes reliquisse; nec probauëre vnquam Lutherani *purum putum* illud *verbum Dei*, ab Apostolis ad se, omissis tot intermedijs ætatibus, rectà peruenisse. In prima statim post Apostolos ætate, vixit S. Dionysius Areopagita, Apostoli Pauli Discipulus; at nihil iste consonum cum Lutheri Euangelio docuit. mox in consequente sæculo, Iustinus Martyr, Irenæus, Origenes, Cyprianus, Clemens Alexandrinus, & Tertullianus vixerunt. In *tertio* Eusebius, Lactantius, Athanasius, Ambrosius, Basilius Magnus, Cyrillus, Optatus Mileuitanus, Gregorius Nazianzenus, Epiphanius, Gregorius Nissenus, & Augustinus. In *quinto*, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, Chrysostomus, & Eusebius Emissenus, Christi Euangelium eo modo planè quo hodie in Catholica Romana Ecclesia docetur, prædicârunt, & non solùm nihil, quod Lutheri sapiat doctrinam, professi sunt: sed omnia illa quæ Lutherus contra Ecclesiam Catholicam Romanam in medium attulit, tanquam impia, hæretica, & blasphema damnârunt, & proscripserunt, prout hoc manifestiùs supra in Ratione secunda videri potest. Quodsi in primo sæculo, ad quod Lutherani prouocant, Lutheri dogmata prædicata & recepta fuissent, infallibiliter sequeretur, secundi sæculi Doctores à Lutheri dogmatibus prorsus dissidētes ab Ecclesia Catholica diuortium fecisse, quod nec ab ipsis Lutheranis vnquā creditum: nullus enim eorum tam perfrictæ frontis extitit, qui in sæculo secundo statim Doctrinam Euangelij superstitionibus & erroribus deprauatam fuisse assereret. Quin

etiam du-

etiam dubium nullum est, si talis tamq́, subitanea cōtigisset mutatio, quin eius in Sanctorum Patrum scriptis luculentissima reperirentur vestigia. Sed nihil horum reperire licuit vnquam.

Progrediantur itaq; Lutherani retrò pedetentim à suo proauo Luthero per singula sæcula ad Apostolorū & Christi tempora, suæq́; Ecclesiæ originem per cōnexam & continuatam Episcoporum seriem inde deducant; quod Catholici Romani facere possunt nullo negotio, & faciunt. Christo enim in terris tanquam Vicarius & visibilis Pastor successit Petrus, Petro Clemēs, Clementi Linus, Lino Cletus, Cleto Anacletus, Anacleto Euaristus, tum Alexander, deinde Xistus, postea Thelesphorus, Higinius, Pius, Anicetus, Sotyr, Eleuterius, Victor, & consequenter ad Vrbanum VIII, hodiernum Pontificem Maximum. Hi omnes Romani Pontifices fuerunt, hi Ecclesiam Christi toto orbe rexerunt.

Sed habent & Lutherani suū Catalogum. dicunt, Lutherum idem Euangelium docere cum Hussio, Hussiū cum Wiclepho, Wiclephum cum Berengario. Hic subsistunt; pergant vlterius, & dicant à quo Berengarius, & vnde ipsius antecessores Euangelium Lutheri acceperint? Non habent, quod respondeant, nisi vt multis sæculis Ecclesiam latuisse affirment. Verùm hinc sequetur, Christum tot sæculis sine sponsa, sine Regno, sine Ecclesia, mundum sine fide fuisse, mendacij arguetur Veritas æterna, quæ dixit: *ego vobiscū sum omnibus diebus vsq; ad consummationem sæculi*; quod absurdum & blasphemum dictu foret. Deniq; nobis etiam tacētibus lapides & structuræ Lutherum cum suis asseclis redarguere & confutare possunt: quotquot enim templa, monasteria, ciboria, altaria, monumenta in Ecclesiis Ca-

tholicorum à pijs & veris Christi fidelibus ante mille, mille ducentos, mille trecētos, & ampliùs, annos fundata adhuc hodie exstant, tot veri & infallibiles testes sunt, qui Catholicam Ecclesiam antiquissimam & verissimam, Lutheranam verò nouissimam & falsissimam esse testantur. Vnde pro conclusione huius argumenti, cum Tertulliano in libro de præscript: Hæreticos alloquente, Lutheranos hodie non immerito compello. *Qui estis vos (Lutherani) quando, & vnde venistis? vbi tam diu latitastis?* & cum Optat: Mileuit: lib: 2. contra Parmen: *Vestræ Cathedræ originem ostendite, qui vultis vobis sanctam Ecclesiam vendicare.* Cum sancto deniq; Hieron: in Epist: ad Pāmach: *Vos assertores nouorum dogmatum, quæso, parcite Romanis auribus, parcite fidei, quæ Apostolico ore laudata est; cur post quadringentos (vos Lutherani, post mille quingentos annos) docere nos vultis, quod antea nesciuimus? vsq; ad hunc diem sine vestra doctrina (Lutherana) Christianus mundus fuit.* Hactenus quarta Ratio.

QVINTA

QVINTA RATIO

SVMPTA EX

Vniuersalitate Romanæ & particularitate Lutheranæ Ecclesiæ.

Ecclesia per totum orbē diffusa, cuiusq; Doctrina in omnibus mundi partibus palàm prædicatur, illa est Catholica & vera:
Atqui Ecclesia Romana per totum orbem est diffusa, eiusq; doctrina in omnibus mundi partibus palàm prædicatur.
Ergo Ecclesia Romana Catholica est & vera.

Sicut è diuerso.

Illa Ecclesia quæ in certis tantùm mundi angulis latitat, non est Catholica, nec vera,
Atqui Ecclesia Lutherana in certis tantùm angulis latitat,
Ergo Ecclesia Lutherana non est Catholica, nec vera.

Maior duplici fundamento nititur. *Primò*, Confessione Lutheranorum, qui veræ Ecclesię infallibilem notam esse Vniuersalitatem in Symbolo Fidei nobiscum credunt, dum profitentur vnam, sanctam, *Catholicam*, & Apostolicā Ecclesiam, *Catholica* enim idem est, quod vniuersalis.

Secundò, Sacræ script: Testimonijs: *Psalm:* 18. *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorū* Psalm: 7. *Dominabitur à mari ad mare.* Isaiæ 49. *Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsq; ad extremum terræ.* Malach: 1. *Ab ortu solis vsq; ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.*

mundo. Matth: 24. *Prædicabitur hoc Euangelium Regni in vniuerso orbe, in Testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio.* Marc: vlt. *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangeliũ omni creaturæ.* ad Rom: 1. *Gratias ago Domino meo per* IESVM CHRISTVM *pro omnibus vobis, quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo.* Sciendum autem est, hîc non requiri, vt Ecclesia sit in omnibus hominib. totius mundi, sed tantùm vt innotescat omnibus prouincijs, & in omnibus fructificet, ita, vt vbiq; sint aliqui de Ecclesia, idq; successiuè: donec enim hoc euenerit, non veniet dies Domini, vt asserit Augustinus Epist: 80. ad Stesich.

His breuiter præmissis, videamus, quænam Ecclesia sit verè Catholica, hoc est, vniuersalis: antiquané Romana? num verò noua illa quæ se Lutheranam nominat? Nos antiquam Romanam esse vniuersalem & verè Catholicam, hinc inter alia probamus, quia Isa: 40. vera Ecclesia sic à Propheta describitur: *Aperientur portæ tuæ iugiter: die ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & Reges earum adducantur:* Atqui portæ Ecclesiæ Romanæ semper à Christo nato fuerunt apertæ, nec vnquam clausæ, sed ad eam multitudo gentium conuersa, & Reges eorum adducti sunt. Ergo. Quod verò eadem Ecclesia vniuerso mundo patuerit, cuiuis patet. Nam statim post Christi ascensionem Apostoli, iuxta numerum duodenarium vniuerso terrarum orbe in duodecim partes diuiso suam singuli partem, iuxta Christi mandatum adierunt, adeoq; Euangelium Christi *in vniuerso mundo esse, & fructificare, & crescere* cæpit, vt loquitur Apostolus ad Colos: 1. Initio per sanctum Petrum Hierosolymis facto, qui prima sua concione (vt ex Act: 2. constat) die Pentecostes habito, ex omnibus nationibus tria millia animarum Christo lucratus est. inde postea Ro-

stea Romam ad confutandum Simonem Magum, qui sede ibi fixerat, profectus integris vigintiquinque annis fidem Christi summa constātia propagauit, ac tandem vltimo anno Neronis ab eodem, capite ad terram verso, cruci affixus est, vt testantur SS. Patres: Irenæus, August: Hieron. sup. de Primatu Petri citati. Huic in Pontificatu successit Clemens, & singillatim deinceps alij triginta Pontifices Romani, qui omnes sanguinem pro Christi fide fuderunt, & martyrio coronati sunt, à Petro vsq; ad Syluestrum, qui fuit trigesimustertius in ordine, & vixit anno trecentesimo duodecimo post Christum natum, Imperatore Constantino Magno qui Ethnicus, suscepto à Syluestro Papa Baptismo, leprâ tam corporis quàm animæ liberatus, Coronam suam & omnem Regiam dignitatem cum Vrbe Roma, & dimidia totius Imperij parte ad pedes eius deposuit. Ita regnorū Caput Roma Christianæ Ecclesiæ Capiti parere cæpit.

In tantis itaq; ad Syluestrum vsq; à S. Petri Pontificatu pressuris, nunquam Ecclesia Catholica Romana adeò oppressa latuit, quin eius noti essent Præsules, templa siue sacraria in quibus Diuina peragebantur, Synodi, Concilia, &c. &, si quis de multitudine Gentium, aut Hebræorum, ad Ecclesiam Christi aggregari vellet, quin illi portæ eius & aditus ad eas pateret.

Præterea Romanam Ecclesiam esse verè Catholicam inductione hac probare possumus; Illa enim est vera Ecclesia, cuius religionem ante multa sæcula, dum ad Christianam Fidem primò conuerterentur, suscepêre: *Bohemia, Dalmatia, Dania, Suecia, Italia, Hispania, Anglia, Germania tota, Hungaria, Polonia, Lithuania, Prußia, & patria nostra Liuonia*; aliaq; Regna atq; Principatus Orbis Europæi. At non aliam susceperunt quàm Catholicam Romanam: vti sole isto manifestiùs est. Ergo.

Et quam, oro Fidem hodie postliminio recipiunt, *Asia, Africa, India Orientalis & Occidentalis, Mexicum, Peru, Brasilia, China, Iaponia, & aliæ remotissimæ Gentes?* certè non aliam, nisi Catholicam Romanam, dum illis Episcopi & Sacerdotes à sancta Sede Apostolica quotannis mittuntur, qui Euangelium Christi prædicent, eosque ad communem gregem fidelium reducant. Hîc Lutherani suæ quoq; Ecclesię annales proferant: ea certè non Hierosolymis per Petrū, sed Wittembergæ in Saxonia per Martinum Lutherum excitata, in Germaniæ duntaxat partibus nonnullis hodie viget, extra eam pedem nusquam efferre ausa. Hispaniam, Italiam, Galliā non vidit, ad Orientales non peruenit, Turcarum immanitatem nunquam sensit; apud quos tamen in Galatia peninsula Constantinopolitana Templa & Domicilia reperiuntur tam Ordinis S. Dominici, quàm PP. Societatis IESV. In Indijs porrò China, Iaponia, quò præcipuè iidem Religiosi PP. Societatis IESV per sanguinem planè suum iter repererunt, nec Lutheranorum nomen auditum est vnquam: longè sunt delicatiores, quàm vt ab vxoribus & liberis abstracti, sese Turcarum truculentiæ, Brasilorum feritati, Indorum barbariei ausint exponere. Nihil dicam hic de innumeris alijs varij Ordinis, ætatis, Catholicis tam ab hæreticis pyratis in itinere Brasiliensi vel Iaponiēsi, quàm ab ipsis Ethnicis in Iaponia pro Christi fide occisis. qui nosse voluerit, Historias Indicas, Expeditionem ad Sinas, aliaque id genus scripta consulet.

His atq; similibus dum vrgemus Lutheranos, vt suæ Ecclesiæ vniuersalitatem, & loca, vbi viguerit, ostendant. ad paruulorum deniq; cunas confugiunt, aiuntq; Deum semper & vbiq; etiam in medio Papatu & superstitionum tenebris suam Ecclesiam sibi integram & sanctam in cordibus

infantum

infantum, antequam ab adultis corrumperentur, seruasse. At quàm futile cõmentum, quàm inane! Profectò ipsi se Lutherani suo mucrone iugulant, dum palàm in Apologia Augustanæ Confessionis profitẽtur veræ Ecclesiæ Dei notas & symbola hæc duo præcpuè esse, *Primò*, Puram Diuini verbi prædicationem. *Secundò*, legitimam Sacramentorum administrationem: nec video quomodo hasce notas in cunis infantium vsu rationis carentium inuenire possint. Deinde scriptura Lutheranis apertè contradicit, dum Ecclesiam Dei vocat *Ciuitatem*, certè non in cunis latentem, sed *supra montem positam* Matth: 5. *& ibidem* Christus, *Nemo* (inquit) *lucernam accendit, & ponit eam sub modio*, vel cum Lutheranis in cunis reclinat, *sed ponit eam supra candelabrum, vt luceat omnibus*. Et qua ratione, obsecro, *multitudo gentium ad eam conuerti* potuisset, si tantùm in cordibus infantium latuisset? Vt enim conuerterentur Ethnici, opus erat vt adulti in fide Christi erudirentur, ac deinde sacro baptismatis fonte abluerentur: at vtrum horum ab infantibus præstari potuit? Sed responsio hæc & doctrina per sese imbecilla & misera non opus est vt pluribus labefactetur. Pudeat Hæreticos, si frontem habent, quod ad hasce ineptias se redigi patiantur.

SEXTA RATIO
PETITA EX
Hierarchico ordine atque ſucceſſione Apoſtolica Eccleſiæ Romanæ, & vocatione ſeu miſſione Miniſtrorum Lutheranorum.

Cuius Eccleſiæ Caput ſuam vocationem non à ſe ipſo, ſed à Chriſto perpetua ſerie deducit; Eſt vera & Apoſtolica:
Sed Eccleſiæ Catholicæ Caput Romanus Pontifex ſuam vocationem non à ſeipſo, ſed à Chriſto perpetua ſerie deducit:
Ergo Eccleſia Catholica Romana eſt vera & Apoſtolica.

Quemadmodum è contrario.

Cuius Eccleſiæ Caput ſpreta eiuſmodi ſucceſſione & vocatione, nouam mundo Eccleſiam, & noua dogmata obtruſit, Illa non eſt vera & Apoſtolica, ſed falſa & Apoſtatica,
Atqui Eccleſiæ Lutheranæ Caput Martinus Lutherus vocatione eiuſmodi Apoſtolica & ſucceſſione contemptâ, nouam mundo Eccleſiam, & noua dogmata obtruſit:
Ergo Eccleſia Lutherana non eſt vera & Apoſtolica, ſed ſalſa & Apoſtatica.

Sine legitima ſucceſſione, & ritè facta ordinatione Epiſcoporum ſeu Paſtorum, Eccleſiam veram nullo modo eſſe Sacra Scriptura docet: Ait enim Apoſtolus Paulus ad Epheſ: 4. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem*

autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios Pastores & Docto-res, ad consummationem sanctorum in opus ministerij in ædifica-tionem corporis Christi: donec occurramus ei omnes, &c. vbi do-cet Apostolus futuros & semper sibi successuros Pastores in Ecclesia vsq; ad diem iudicii, tunc enim *occurremus Domino in vnitate fidei.* Esse autem de facto tales Episcopos & Pa-stores, ostendit illa commonitio Apostolica *Act*: 20. *At-tendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Idem confirmant SS. Patres: Cyprianus lib: 4. Epist: 9. Hieronymus, & alij. Verùm probatione vsq; adeò res non indiget: nam & ipse Luthe-rus in lib: de Ecclesia, inter notas veræ Ecclesiæ ponit, *Pa-stores habere, eamq; nullam esse, quæ vel nullos, vel non veros ha-bet Pastores.* Veros autem Episcopos aut Pastores eos in-telligamus necesse est, qui ab Apostolis, per legitimam suc-cessionem & ordinationem descendunt: omnes enim alij *fures sunt & latrones*, iuxta effatum Christi *qui non intrant per ostium ad ouile.* Itaq; Christus in sua Ecclesia duodecim Apostolos ordinauit ac post se reliquit, quibus non solùm Ecclesiam suam gubernandam commisit, sed etiam pote-statem alios eadem authoritate ordinandi contulit: hi dein-de alios Episcopos ordinârunt, atq; isti alios vsq; ad nostra tempora, vti ex Annalibus Ecclesiasticis & SS. PP. scriptis liquet.

His quoad Maiorem præmissis, ad Minorem Theseos nostræ veniamus, & videamus, num caput Ecclesiæ Ca-tholicæ Romanæ sūmus Pontifex cum reliquis Episcopis suam successionem & ordinationem (hæc enim duo in quo libet Episcopo requiruntur) ab Apostolorum Principe ha-beat? *Primò*, successionem quod attinet, sciendum, statim in primitiua Ecclesia Sanctos Patres exactè eam obseruasse,

& adnumerâsse, incipiendo à S. Petro, adeòq; monstrâsse continuam seriem Episcoporum Romanorum. Ita Irenæus, qui secundo statim sæculo vixit lib: 3. cap: 3. enumerat Episcopos Romanos *à Petro vsq; ad Eleuterium*, qui tempore ipsius Romæ in Cathedra Petri sedit, dicens: *per hanc successionem confundi omnes hæreticos.* Pari modo S. Ambros. qui tertio sæculo Mediolanen. Episcopus fuit, ad cap: 3. prior ad Timoth. *Cùm totus* (inquit) *mundus Dei sit, tamen Domus eius Ecclesia dicitur, cuius hodie Rector est Damasus.* Ad hunc Damas: S. Hieron: de nomine *Hypostasis* scribens ait: *Quanquam tui me terret magnitudo, inuitat tamen humanitas; à Pastore præsidium ouis peto, cum successore Piscatoris, & Discipulo Crucis Christi loquor. Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior, supra illam Petram ædificatam Ecclesiam esse scio.* Deniq; Augustinus qui quarto circiter sæculo vixit, *in Epist: 165. ad Genes.* in fine enumerat omnes Pontifices Romanos à Petro vsq; ad Anastasium, qui tunc Pontificatum Romanum gerebat. *Et in lib:* con: Epist Manich: cap: 4. *Tenet me* (inquit) *in Ecclesia ab ipsa Sede Apostoli, cui pascendas oues suas Dominus commendauit, vsq; ad præsentem Episcopum continuata successio Sacerdotum.* Et Epiphan: hær: 27. enumeratis omnibus Pontificibus Romanis, subiungit: *Neq; quisquam miretur, quòd tam exactè omnia recensemus, per hæc enim semper charitas ostenditur.*

Quodsi itaq; SS. Patres & antiqui Ecclesiæ Doctores tam exacti & curiosi, ad ostendendam Ecclesiæ veritatem, in enumeratione 40. vel 50. Pontificum Romanorum fuerunt, cur hæretici nobis horum continuatæ successionis enumerationem inuident, qui à sancto Petro, vsq; ad hodiernum Vrbanum VIII. ducentos & quinquaginta legitima

serie (vt

ſerie (vt omnes Hiſtorici & Annales fatentur) numeramus. Sed negant Lutherani hanc ſucceſſionem veram eſſe, dum eam per Dominatũ Papæ Tyrannicum interruptam adeoq́; Papiſticis erroribus ac ſuperſtitionibus euerſam ac deprauatam eſſe contendunt; ſed fruſtra. in omni enim inſigni mutatione religionis, ſemper iſta ſex demonſtrari debent. Primò, *Author eius*. Secundò, *Dogma aliquod nouum*. Tertiò, *Tempus quo cæpit*. Quartò, *Locus vbi cæpit*. Quintò, *Quis eam oppugnarit*. Sextò, *Exiguus aliquis cœtus, vnde paulatim alijs accedentibus creuerit*. Nihil autem horum in hunc vſque diem Lutherani nobis oſtendere queunt. Primò enim nunquam nobis Authorem noſtræ ſectæ obijcere, vel ab vllo priuato homine (quod omnibus Hæreticis commune eſt.) nos appellare poterunt, ſicut nos Arrianos, ab Arrio Preſbytero quodam Alexandrino, Lutheranos à Luthero Apoſtata & periuro Monacho Ordinis quondam S. Auguſtini; Caluinianos à Caluino meritò nominamus: niſi quod nos *Papiſtas* vel *Pontificios*, quod gratiſſimo animo accipimus, appellent: ſcimus enim ex ſupradictis, ſemper in Eccleſia Papam, qui Eccleſiam regat & Pontifices ſeu Epiſcopos, qui gregem Domini paſcant, eſſe debere.

Secundò, nunquam nos hæreſeos alicuius conuicerunt, vel nouum aliquod dogma, quod à Doctrina Apoſtolorũ & SS. Patrum diſcrepet, à nobis ſuſceptũ probârunt; quemadmodum de ipſis omnibus plus nimio conſtat. *Tertiò*, quamuis (vt in prima ratione dictum) miris modis ſe torſerint, tamen nunquam nobis certum & determinatum tempus defectionis demonſtrare potuerunt. Nos verò Arrianã hæreſin Anno D. 324. Lutheranam Anno 1517. Caluinianam Anno 1538. cæpiſſe, probè nouimus. Neque *quarto* locum vbi hæreſis, vti calumniantur, noſtra exorſa ſit, indicare

dicare possunt, siquidem totum semper terrarum orbem cum Romano Pontifice sensisse supra abundè declarauimus. Quis verò Arrianam hæresin in Ægypto, Lutheranam Wittembergæ in Saxonia, Caluinianam Geneuæ primò suscitatam esse ignorat? *Quintò*, nunquam designârunt, quisnam Catholicam Ecclesiam Romanam tanquam nuper ortam oppugnauerit? quænam Concilia, quibus errores Ecclesiæ Catholicæ damnarentur, contra illam legitimè celebrata fuerint? Nos verò benè perspectum habemus Arianam mox oppugnatam fuisse à Syluestro Papa, damnatam à Concilio Nicœno, à sancto Athanasio, Hilario, & alijs: Lutheranam oppugnatam à Pontifice Leone x. & vnà cum Caluiniana damnatam in Concilio Tridentino. Tandem *sextò*, non potest vllo modo ostendi, quod nostra Ecclesia Catholica Romana, se ita à maiori parte separauerit, vt qui adhærent Romanæ fidei essent paucissimi, cùm ex Epistolis Greg: Magni (cuius tempora maximè Lutherani, quasi ijs Ecclesia defecerit, vrgere solent) ad Episcopos Orientis, Africæ, Hispaniæ, Galliæ, Italiæ, datis constet, omnes ferè Christianos cum eo communicasse. Quid simile apud Arrianos, Lutheranos, Caluinistas?

Deniq; salua illa hypothesi, quam portæ inferorum saluam & infractam sinere debēt: quod Ecclesia Christi super Petram firmata perpetuam Spiritus sancti assistentiam habeat, neq; errare possit in ijs quæ ad fidem spectant (vt supra in Ratione secunda firmissimis argumentis, & Scripturæ testimonijs declarauimus) quomodo successio Episcoporum quibus Ecclesiæ pastura commissa est, deficere vel interrumpi potuit?

Transeamus iam ad alterum veri Episcopi requisitum *Ordinationem* videlicet, accuratiùsq; perpēdamus, num Ec-

clesiæ

clesiæ Catholicæ Romanæ Episcopi eam habeant. In omni autem Ordinatione vera & legitima requirimus, vt qui fit Episcopus, ordinetur à tribus Episcopis, qui & ipsi ab alijs sint ordinati, & illi ab alijs, donec ad Apostolos deueniatur. Id clarè habetur *Canone primo* Apostolico, vbi præcipitur, vt Episcopus ordinetur à duobus vel tribus Episcopis: huc Apostolus 1. ad Timoth: 4. respexit aiens: *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi cum impositione manuum presbyterij*. per Presbyteriū intellige cœtum Episcoporum, qui simul cum ordinante imponebant manus super caput ordinandi. Conformiter docent SS. Patres, Chrysostomus, Theophilactus, & inter cæteros Anacletus *Epist:2.* ostendit Iacobum ordinatum fuisse Episcopum Hierosolymitanum à Petro, Iacobo, & Ioanne; atq; eodem modo à tribus ad minimum Episcopis omnes alios ordinari debere. Hic mos ad hodiernum vsq; diem semper in Ecclesia Romana obseruatus fuit; hoc modo omnes Episcopi in Ecclesia Romana ordinati sunt, hoc modo ordinantur & vocantur, ordinabuntur, & vocabuntur, donec omnes occurramus Christo: qui *per ostium non intrant, fures & latrones* habebuntur.

Restat vt Minorem Antitheseos nostræ excutiamus, in qua dictum, Lutheranę Ecclesię Antistitem Martinum Lutherum suam vocationem & ordinationem non ab aliquo Apostolorum per continuam & nunquam interruptam successionem probare posse; sed relicta & spreta vocatione, quam in vera Ecclesia susceperat, aliam erroneam inuexisse.

Diximus in Episcopo requiri duo, *Primò* Successionem continuatam ab Apostolis: *Secundò*, Ordinationem seu vocationem legitimam à tribus ad minimum Episcopis per

manuum impositionem factam. neutrum horum fuit in Luthero. Ergo nec ipse vocatus seu ordinatus, nec alios vocare & ordinare potuit: nemo enim plus iuris ad aliũ transferre potest, quàm ipse habet. Et primò quidem successionem nullam prætendere potest; siquidem ipse primus Pseudo Ecclesiæ suæ Author & inuentor extitit, primusué Episcopus Wittembergen. sicut Caluinus primus Geneuensis, Oecolampadius primus Basileensis, à seipso ordinatus & dictus est. Hic dum in Ecclesia adhuc esset Catholica, in qua baptisatus, primam iuuentutem, Adolescentiam & magnam ætatis virilis partem egerat, in itinere quodam (vt testantur Chytræus, & alij de vita Lutheri) socio ad latus fulmine tacto seruatus Deo sese totum dicare cõstituit, & paulò post Ordinem S. Augustini ingressus, professionem & vota perpetuæ castitatis, paupertatis, & obediẽtiæ Deo fecit; sed frustra; nulla enim Monachorum claustra tàm firma esse potuerunt, quæ effrænatos ipsius affectus cohibere vel carnis petulantiã & lasciuiã coërcere possent. Violatis ergo castitatis Deo promissę dicatęq; & aliis vitę monasticę votis, sanctimonialem virginem Deo pariter dicatam (dignum tali patella operculum) secum abduxit, sibiq; sacrilego sociauit matrimonio. His accedit & alia Apostasiæ causa supra relata, quod videlicet cum Prædicatorum Ordini indulgentia plenaria à Sede Apostolica, ipso, Ordineq; ipsius præterito, concederetur, in omnes indulgentias, quas tàm cupidè ipsemet poposcerat, inuehi cæpit, atq; ideo veniâ desperatâ, cum scelere inchoata nonnisi scelere perfici possent, quicquid conuitiorum & calumniarum in Sedem Apostolicam, & totam Catholicã Ecclesiam comminisci poterat, liberè (cùm non deessent, qui patrocinium illius gererent) effudit, testis Sleidanus lib. 1. Historiæ suæ. O horrendum

rendum

rendum monstrum! O portentum! quo nunquam sol pe-
ius vidit vel terra sustinuit? Ex Monacho Hæresiarcha, ex Catholico perfidus Apostata, impius & sacrilegus raptor: Hinc deinde cõmunis omnium scelerum sentina.

Ecce habetis religionis apud omnes Gentes receptæ & per tot sæcula sine vlla reformatione cultæ reformatorem (deformatorem veriùs) hic ille est Lucifer, qui tenebris abditam veritatem in lucem eduxit. Ego certè licèt fingerem aliquando Ecclesiam errasse, nunquam tamen in æternum mihi persuadere possem, DEVM ad restaurationem Ecclesiæ suæ tàm fætido organo & instrumento vsum fuisse, præsertim cùm tot Doctores sapientissimos, tot viros sanctissimos habuerit, quos in gratia fuisse tot miraculis cõprobauit.

Secundò, si vocationem seu ordinationem Hierarchicam consideremus, pariter nullam tam in Luthero ipso quã in omnibus Lutheranis deprehendemus. Primo enim Lutherum à nullo nisi à se ipso ad deformationem Ecclesiæ vocatum ex propria confessione constat. Ita enim Tom:2. Ihenen fol·71. scribit Friderico Duci Saxoniæ. *Illustrissima Celsitudo vestra nouit, vel si fortè ignorat, hoc ipso sciat, me Euangelium hoc non ab hominibus, sed desuper ex cælo habere, ita vt in posterum me in rei veritate Euangelistam appellare poßim* Ewer Gnaden weis es / oder weis sie es nicht / so las sie es ihr hiemit gesagt sein / das ich das Euangelium nicht von menschen, sondern von Gott vom himmel habe; das ich mich woll / wie ich dann hinfort thun will / hette mogen einen Euangelisten schreiben. Et Tom 6 Wittemberg: fol: 1605, *Non solùm Doctor sum super omnes Doctores, sed etiam Domini nostri* IESV CHRISTI *Euangelista*. Et Tom: 9. Wittembergæ fol: 1609. *Sed cur dico indignus Euangelista, siquidem absolutè dicere possum: Ego Martinus Lutherus Euangelista Wittebergen.*

(verba Authoris) Nicht allein bin ich ein Doctor vber alle Doctores/ sondern auch vnsers Herrn Jesu Christi vnwurdiger Ewangelist/ ꝛc. vnd warumb sag ich vnwurdiger/ weil ich schlecht sagen kan/ Ich Martinus Luther Euangelist zu Witemberg. Sic Tom: 2. Ihenen fol: 92. *Quid multu est opus ambagibus? si aliquis quæret, tu quis es? ipsi Respondeo: Ego Martinus Lutherus confiteor & non nego, & confiteor me esse Apostolum.* & Tom: Ihenen 1. fol: 416. *Si quis dubitare vellet, sciat me tàm certo esse Prophetam, quòd ipse mihi hac de causa succenseã.* Was darff es viel vmbschweiffens? Wan einer fragen sol *Tu quis es?* Wer bistu? so gebe ich ihme diese andtwordt. Ich Marthin Luther bekenne vndt leugne nicht; vndt bekenn das ich ein Apostel bin. Wer hieran zweiffeln wolte/ sol wissen/ das ich so gewiss ein Prophet bin/ das ich mir selber darumb gramm vndt feindt bin. En quoties apertè Lutherus se Prophetam, & Apostolum, & Euangelistam esse pronunciat, suumq; Euangeliũ se non ab hominibus, sed immediatè à Deo accepisse proclamat: *Spectatum admissi risum teneatis amici.* quis tanto viro, præsertim in re propria non crederet? At ego illum non immediatè à Deo, sed à Patre mendaciorum vocatum clarissimè hoc argumento demonstro:

Quicunq; in Nouo & Veteri Testamento extraordinariè à solo Deo vocati & missi sunt, debuerunt suam missionem euidenti signo vel miraculo apud populum comprobare, sicut fecit Moyses, Elias, & reliqui Prophetæ ac Apostoli; qui verò hoc facere non potuerunt, pro falsis prophetis & impostoribus habiti sunt. Quod fatetur Moyses *Exod: 3.* Cùm enim dixisset illi Deus; *Veni, & mittam te, Respondens Moyses, ait: Non credent mihi, neq; audient vocem meam, sed dicent: non apparuit tibi Dominus.* Quare vt fides illi haberetur, dedit illi Deus potestatem prodigia varia patrandi. Idem de Elia, Eliseo, &

aliis

aliis Prophetis, ac Apostolis manifestè constat. Equidem de Apostolis *Marc: 16.* dicitur: *Prædicauerunt Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis.*

Atqui Lutherus hanc suam vocationem seu missionem nullo euidenti signo comprobare potuit: Ergo non fuit extraordinariè missus. De his plura in Ratione vltima, vbi de miraculis agetur, videri poterit. Porrò eum ordinariè vocatum esse negare tenentur omnes ipsius asseclæ, alioqui testarentur hoc ipso Catholicam Ecclesiam esse veram, in qua verum sacerdotium, & cui data est à Christo potestas ordinandi & mittendi. Nos sentimus illum ordinariè & legitimè vocatum esse ad ministerium, quod exercuit in Ecclesia Catholica ante defectionem, non tamen ad ministerium quod exercuit in Ecclesia Lutherana post defectionem, tunc enim fuit mẽbrum aridum ab Ecclesiæ corpore recisum & Anathemate percussum, cœpitq; oppugnare Ecclesiã in quâ ãtea vixerat, cœpit aliter docere quã antè docuerat, cœpit abrogare Festa, Ieiunia, vota Monastica, orationem pro defunctis, Sacrificiũ Missę, & alia multa, quę antea approbauerat, hęc nõ potuit facere per potestatem in Ecclesia Catholica acceptã quia Episcopus non dedit illi potestatem in destructionem illius Ecclesię, in qua ipse erat, ergo non habuit talem potestatem, vel si habuit, aliunde accepit; sed non ordinariè ab hominibus, vti ipse fatetur, neq; extraordinariè à Deo, vt paulò ante probauimus: dicant ergo Lutherani, vnde? nos dicimus, à Diabolo; in quo & ipse nobiscum consentit, vt patet ex loco supra citato de Missa angulari, vbi expressè fatetur *se post multam disputationem cum diabolo, rationibus ab eo deuictum esse, & in ipsius gratiam sacrificium Missæ abrogasse,* & in Concione habita Dominica Reminiscere asserit *se plusquam vnum modium salis cum diabolo cõsumpsisse,*

debent

ſe bene Diabolum noſſe, & viciſſim ab eodem cognitum eſſe. Item in Colloquijs *Francofurti impreſſis Anno* 1567. *Diabolum ſibi propiùs Catharinâ ſuâ noctu accumbere.* (autenticè) Er habe ein ſtuck ſaltzes oder zwei mit ihm geſſen/ Er kenne ihn woll/ der teuffel ihn auch woll. Item. Der teuffel ſchlaffe naher bei ihm den ſeine Kahte. O pulchrum ſodalicium! *Naſcitur ex ſocio, qui non cognoſcitur ex ſe.* Et hæc quoad Lutherum. Iam quod ad Miniſtros eius attinet, pari modo dicimus: Illos neque ordinariè vocatos, ſiquidem legitima vocatione & ordinatione, qualis in Eccleſia Catholica ſemper viguit, carent: neque extraordinariè, ſiquidem in hunc vſque diem, nemo illorum euidenti ſigno hoc probauit. Quodſi itaque Miniſtrum aliquem Lutheranorum interrogaueris, vnde tu Sacerdotium tuum habes? Quis tibi claues Regni cælorum tradidit? quis te in vineam Chriſti vocauit? extemplò reſpōdebit, meus Superintendens: ſed vnde tuus ſuperintendens poteſtatem ordinandi & vocandi habet? ab alio Superintendente. Et iſte alius à quo? & tertius vnde? à Luthero. (vltra tertium enim vix progredientur) vnde Lutherus? hîc obmuteſcet Miniſter; ſed tutò dices à Diabolo, vt paulò ante probatum dedimus. Planè contrarium occurrit in Eccleſia Catholica; ſi enim vel ſimplicem Preſbyterum interrogaueris, à quo habes Sacerdotium? à quo in vineam Chriſti vocatus es? ſine cunctatione reſpondebit: à meo Epiſcopo; ſed vnde tuus Epiſcopus? ab alio Epiſcopo, vnde alius? à tertio, tertius vnde? à Summo Pontifice Romano, vnde Summus Pontifex Romanus? à ſuis anteceſſoribus; & iſti vnde? per continuam ſucceſſionem à ſancto Petro: Sanctus Petrus verò à quo? à Chriſto Domino, vnde tandem Chriſtus? à Patre ſuo cæleſti, dum inquit: Sicut miſit me Pater, ita & ego mitto vos.

Hæc

Hæc & similia cùm reuolueret Lutherus, cor sibi frequenter palpitasse & contremuisse, in libro de Missa priuata testatur hoc modo secum discurrens: *Tunè solus sapis? errantnè alij omnes? fierinè potest, vt vniuersus mundus errârit omni tempore & ætate? quid si tu ipse erres & tecum tot homines in errorem æternamq; perniciē adducas?* Et Ioannès aurifaber refert. *Eundem in sermonibus suis conuiualibus* dicere solitum *sibi hæc non raro in mentem venire. Tu quidem prædicas Euangelium, at quis tibi mandauit? quis te ad hanc nouam dicendi rationem, quam tot sæculis nemo mortalium tenuit, vt eam sequerere vocauit? quid si displiceant Deo quæ agis? tuq; reus sis damnationis tot Myriadum animarum?* Hæc Lutherus de se; Ministri eius secum idem cogitare meritò deberent: Vosné soli sapitis? Errantné alij omnes? fieriné potest, vt vniuersus mundus errauerit omni tempore atque ætate? Quid si vos ipsi potiùs erretis, & vobiscum tot homines in errorem æternāque perniciem adducatis. Et porro. Vos quidem prædicatis Euangelium, sed quis vobis mandauit? Quis vos ad hanc nouam dicendi rationē, quam tot seculis nemo mortalium tenuit, vt eam sequeremini, vocauit? quid si displiceat Deo quæ agitis? Vosque rei sitis damnationis tot Myriadum animarum?

SEPTIMA RATIO,

PETITA EX

Vnitate & Harmonia Catholicę Ecclesię, & infinitis diſcordijs, atq; contradictionibus Doctrinæ Lutheranæ.

Quæcunq; Eccleſia ſemper & vbiq; vnam & eandem Doctrinam tenuit, neq; vnquam ſe ab illa dimoueri paſſa eſt, vera Eccleſia eſt.

Atqui Catholica Romana ſemper & vbique vnam & eandem doctrinam conſtanter tenuit, neque vnquam ſe ab illa dimoueri paſſa eſt. Ergo Eccleſia Catholica Romana eſt vera.

Sicut è diuerſo.

Quæcunq; Eccleſia non ſemper & vbique vnam & eandem Doctrinam conſtanter tenuit, ſed perpetuis diſſenſionibus, implicantijs & contradictionibus ſcatet, illa eſt falſa.

Atqui Eccleſia Lutherana non ſemper & vbiq; vnam & eandem Doctrinam conſtanter tenuit, ſed perpetuis diſſenſionibus implicantiis & contradictionibus ſcatet.

Ergo Eccleſia Lutherana eſt falſa.

Credimus & profitemur in ſymbolo fidei *Vnam, ſanctam, Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam*, Vbi inter reliquas verę Eccleſię notas primo loco *vnitatem* fidei non immeritò Sancti Patres poſuerunt; ſicut enim *Vnum* DEVM, *vnum Baptiſma*, Ita quoque *vnam Fidem* credere *iubemur* Epheſ. 4. & Ezech. 11. *dicit Dominus*: *Dabo eis cor vnũ.* Vbi verò diſcordiæ & diſſenſiones apparent, certiſsimum ſignum eſt, ibi non

non Spiritum ſanctum, ſed ſpiritum cõtradictionis regnare, ſicut enim Spiritus veritatis ſibi nunquam contrarius, & *Deus, non eſt Deus diſſenſionis, ſed Deus Pacis.* Cor. 14. Ita ſpiritus mendaciorum ſibi nũquam conformis eſſe poteſt. Hoc ipſe Lutherus comprobat in libris de votis Monaſticis, dum diſertè profitetur: *Indubitatam atque certißimam notam falſæ doctrinæ, eſſe diſſenſionem in fide* his verbis: *mendacia citiùs dignoſci non poſſunt, niſi quando ſibimet contraria ſunt: à Deo enim ita ordinatum eſt, vt impij ſemper ſeipſos confundant, & quod mendacia non conſonent, ſed ſemper contra ſemetipſa teſtentur.*

Iam verò Eccleſiam Catholicam Romanam, ſemper & vbique vnã & eandem doctrinam conſtanter tenuiſſe, circa fidei Chriſtianæ articulos mirè conſenſiſſe, & adhuc hodie conſentire vniuerſo orbi conſtat. Neque enim aliter hodie in Eccleſia Catholica, quam ante centum annos docetur: Et ante centũ annos ĳdem fidei articuli, qui etiã ante duo, tria, quatuor, & ampliùs ſecula, crediti ſunt. Nec Doctores & Sancti Patres primi ſeculi aliter docuerunt & prædicauerunt, quam illi qui vltimo hoc ſeculo viuunt, docent, & prædicant, prout ſupra in Ratione ſecunda luculenter probatum.

Deinde quod maximam admirationem meretur, multos Eccleſię Doctores in remotiſſimis à ſe inuicem mundi partibus, ſimul vixiſſe, in vnitate tamen fidei Catholicę ita conſpiraſſe conſtat, quaſi vno ore locuti fuiſſent. Sed quamuis aliqui eſſent, qui errores aut hæreſes in Catholicam Eccleſiam introducere vellent, in promptu ſtatim eſt Caput & ſummus Paſtor ex Cathedra Petri Eccleſias dirigens, qui tales oues errantes, vel ad gregem reducere, vel ſi non ſint corrigibiles, repellere atque exterminare poſſit: Ita

Sanctus Hieronymus contra Iouin: *Inter duodecim Apostolos* inquit *vnus eligitur, vt Capite constituto Schismatis tollatur ocasio.* Tali Capite cum Lutherani careant]. quid mirum si perpetuis dissidijs ipsorum Ecclesia flagret, si aliter in hac, aliter in illa Prouincia doceant, Euangeliumque prædicent, iuxta illud Cypriani *Lectione prima. Epist: 3. Non aliter Hæreses ortæ, aut nata Schismata, quàm inde quod Sacerdoti Dei non obtẽperatur,* nec vnus ad tempus sacerdos, *&* *ad tẽpus iudex vice Christi cogitatur, cui si secundum Mysteria Diuina obtemperaret Fraternitas, nemo aduersus sacerdotũ collegium quicquã moueret.* Verùm ne aliquid quod in rei veritate non sit, comminisci videar, dilucidè probabo Dogmata tàm Lutheri quàm Lutheranorum contradictionibus & dissensionibus vndequaq; scatere.

Atque primó quidem Lutheri in Doctrina fidei inconstantia vel maximè apparet, quod varijs in locis asserat: *se certum esse de doctrina, quod illam cælitùs acceperit* in lib. contra Regẽ Angliæ. *Imò se tam certum esse de sua doctrina, quòd que ab Angelis pateretur eam iudicari, & neminem posse saluari, nisi qui fidem eius acceptaret,* in lib. contra statum Ecclesiast. Sed aduertamus tantúm, quomodo ista conueniant cum supra citatis in fine rationis præcedentis, vbi ita secum discurrit: *Tune solus sapis? Errantné alij omnes? potestné fieri vt vniuersus mundus errârit, omni tempore, & omni ætate. Quid si tu ipse potiùs erres, & tot homines tecum in errorem æternam & perniciem adducas?* & Tomo 7. *folio* 164. pagina 2. *se sperare, inquit, Quod quidem in nomine Domini ista doctrina cœpta sit, sed tam audacem se non esse, quod proclamare & iudicare possit eam ita se habere & non aliter. Imò se non libenter Dei iudiciũ eam ob rem subiturũ. Sic* Tomo I. *fol.* 165. Anno 29. *edito, pro certo & indubitato credendum statuit Purgatorium.*

Tomo

Tomo verò. 7. fol. 7. pro certo credendũ, nullũ esse Purgatorium.

De inuocatione Sanctorum scribit dicto loco: *Ego credo & firmiter teneo cum vniuersa Christianitate, Sanctos esse honorandos & inuocãdos.* Imò Lutherus Tom: *6.* p. 2 *fol.* 30. *pagina* 2. suprà Magnificat ita precatur. *Hoc nobis largiatur Christus intercedente & impetrante charissima Matre sua MARIA.* Das verleihe vns Christus durch furbitt vnd willen seiner lieben Mutter Maria at in alijs locis inuocationẽ Sanctorum appellat Antichristianum abusum, mendacium diabolicum & venenum lethale. Transubstantiationem in odium Papistarum respuit. *Tomo* 2. *fol.* 204. Eandem in odium Zwinglianorum credere cupit. *Tomo* 3. *fol.* 492. Vitam Monasticam adeò exosam habet, vt *Tomo.* 2. *fol.* 12. dicat se potiùs Latronem quam Monachum fieri velle; mox se in barbam Carolstadio vel crastina die tàm strictam religionem profiteri, tamq; strictè obseruantem Monachum fieri velle, qualis nunquã fuit. Tom. 3. folio 55. Bald will er lieber ein morder sein/ als ein Munch. Bald will er dem Carlstad zu trotz noch morgen so ein eifriger Munch werden/ als einer iemals gewesen.

De sacra Scriptura scribit *Tomo* 1. *fol.* 537. Eam adeò claram esse, vt nulla interpretatione indigeat, sed vnumquemuis eam intelligere posse. *Tomo* 6. *folio* 458. cõqueritur *se viginti annos Scripturam didicisse, duodecim docuisse, tamen parum de ea intelligere.* Præterea multis alijs in locis sibi apertè contrariatur. De Transubstantiatione *duodecies*, De Iustificatione *trigesies septies.* De Vocatione Ministrorũ multoties suam opinionem mutasse legitur. In Doctrina de Sacramento Eucharistiæ adhuc viuente eo Doctor Gasparus Querhammer ipsi triginta sex contradictiones ad oculum demonstrauit. Et quis omnes istius Eceboli

 dissensio-

dissensiones & implicantias enumerare valeat?

Ab hoc suo Proauo non degenerant filij & Nepotes, quin pariter contradictionibus & dissensionibus perpetuis circa fidei Dogmata laborent. In Catechismo Lutheri quem & ego ad vnguem tenui, duo tantum Sacramenta vera & propria, videlicet, Baptismum & Eucharistiam statuũt In *Apologia verò Augustanæ Confessionis articulo 13. de Sacramentis, tria vera & propria Sacramenta constituunt: Baptismum, Eucharistiam, & Absolutionem seu Pœnitentiam.* At nonne hæc euidentissima contradictio? Traditiones præter sacram scripturam nullas esse admittendas, eamq; satis claram esse adeò, vt ab omnibus facilè capi possit, publicè docent; cùm tamen ipsi tot scripta cudant, & tot explicationes, & tot Postillas fabricent, quibus portandis ne Indici quidem Elephanti sufficerent. Suam doctrinam à Relligioone Romana Catholica, non nisi quoad abusus quosdam discrepare affirmant in Epilogo Augustanæ Confessionis, dum inquiunt: *Hæc ferè summa est Doctrinæ apud nos, in qua cerni potest, nihil inesse, quod discrepet à Scripturis vel ab Ecclesia Romana, quatenus ex Scriptoribus nota est; quod cum ita sit, inclementer iudicant isti, qui nostros pro Hæreticis habere postulant. Sed dissensio est de quibusdam abusibus qui sine certa authoritate, in Ecclesiam irrepserunt, in quibus etiamsi esset quædam dissimilitudo, tamen decebat hæc lenitas Episcopos vt propter Confessionem quam iam recensuimus tolerarẽt nostros.* Cùm tamẽ disertè Lutherani asserant, & publicè ex Cathedris calumnientur Ecclesiam Romanam Catholicam esse impiam, & superstitiosam, Idololatricã, Antichristianam, & quidquid cõuitiorum concipere possunt, in eam expuunt. Quid hac antithesi apertius?

In Commu-

In Communione sacræ Eucharistiæ sub pane cōsecrato esse verū IESV Christi corpus assumptum ex MARIA Virgine docent, Sanguinem tamen sub eadem hostia contineri negant. Itaq; aut sibi expressè contradicunt, aut corpus Christi non viuum, sed exsangue sub specie panis se accipere credunt. Suffragia pro defunctis non esse facienda prædicant, cùm tamen ipsi animas defunctorum post publicas Conciones Deo commendēt, vt suprà declaratum. Nonnè hoc est aliud dicere, aliud expressè facere? hoc modo ōnia illorum dogmata examinata contradictionum & implicātiarum argui possent.

Concludo itaq; ex Hypothesi Lutheri; doctrinam Lutheranam, cùm sibi maximè contraria sit, atque infinitis in locis à se discrepet, esse falsissimam. Mendacia enim (vt ipsius verbis vtar) certiùs dignoscere non possumus, nisi quando sibimet ipsis contraria sunt. A Deo enim ita ordinatum est, vt impij seipsos confundant, & quòd mendacia non consonent, sed semper contra semetipsa testentur.

OCTAVA RATIO,

PETITA EX

Fructibus vtriusque Doctrinæ, & Catholicæ, & Lutheranæ.

Quæcunque Doctrina pios, salutares, Deoq; placentes profert fructus, illa est vera & bona.

Atqui Doctrina Catholicorum pios, salutares, Deoq; placentes profert fructus, Ergo Doctrina Catholicorum est bona & vera.

Sicut è contrario.

Quæcunq; Doctrina impios, perniciosos, Deoq; displicentes procreat fructus, illa & falsa & pessima est.

Atqui Doctrina Lutherana impios, perniciosos, Deoq; displicentes, procreat fructus.

Ergo Doctrina Lutherana, & falsa, & pessima est.

Ex fructibus eorum cognoscetis eos. *Siquidem arbor bona, bonos fructus facit, arbor verò mala, malos fructus facit: arbor enim bona, non potest malos fructus facere: sicut nec arbor mala, bonos fructus facere. Omnis verò arbor, quæ fructus bonos non facit, excidetur & in ignẽ mittetur*: Sunt verba Saluatoris nostri. Quodsi itaque ex fructibus iudicanda sit vtraq; Doctrina, tàm Catholica, quàm Lutherana, hanc impiam atq; falsam: illam verò piam atque veram, facilè ex sequentibus deprehendemus.

Hoc enim ipso quod Catholici docent, vnum summum ac visibile caput in Ecclesia necessariũ, cui se omnia membra dirigenda subijciant, sequitur legitimus in Ecclesia Catholi-

Catholica ordo, hierarchica ac bene in omnibus rebus ordinata dispositio, miranda membrorum cum capite in vnitate fidei conspiratio & vnio, hæresum atque errorum exterminatio, Schismatũ exclusio; omnis discordia procul exulat: Lutherani verò dum tale caput non agnoscunt, perpetuo horrore atq; cõfusione laborant, intestinis dissensionibus atq; discordijs flagrant, nullus rerum ac personarum est Ordo; quot Prouinciæ, tot summi Pontifices, quorum nemo in Fide cum alio consentit. *Deinde* cum doceant Catholici Ecclesiam nunquam errasse, sequitur infallibiliter eam iuxta effatum Christi, super Petram fundatam esse, portas inferorum aduersus eam nihil profecisse, sponsam Christi immaculatam semper permansisse. Si verò secundùm doctrinam Lutheranorum errauerit, necessariò sequitur Ecclesiam Christi non supra Petram, sed supra arenam fundatam fuisse, portas inferorum contrà eam præualuisse, Sponsam Christi non incorruptam permansisse, sed temeratam & adulteratam esse. Sequeretur etiam omnes nostros maiores, quotquot intra mille & quadringentos annos in Catholica Ecclesia vixerunt, in æternum perijsse, nec quenquam Christianum tot seculis saluatũ esse, siquidem extra veram Ecclesiam nulla salus.

Porrò dum Catholici sacram Scripturam, quoad nos & sensus nostri hebetudinem, obscuram & difficilem esse dicunt, neq; cuilibet promiscuè, nisi qui sint defæcatioris animi & ætatis, eius lectionem permittunt, sequitur magna sacræ Scripturæ reuerentia, debita & religiosa eius tractatio: cùm è diuerso apud Lutheranos, dum preciosissimas has margaritas porcis obijciunt, Biblia passim per sutrinas, textrinas, & tonstrinas, imò inter fusa & pensa anicularum versentur, & quilibet se Doctorem atque interpretem Sacræ

Scripturæ

Scripturæ pro suo peruerso & arroganti iudicio iactet. Præterea per inuocationem Sanctorum apud Catholicos amplificatur honor & gloria nominis Diuini, dum cultus iste per Sanctos, tanquam per seruos Dei, ipsi Deo tribuitur: Lutherani verò dum Sanctorum cultum neglıgũt, ipsi Deo honorem, qui laudabilis est in Sanctis suis, detrahunt.

Tum vt reliqua omnia taceamus, vel vnicus iste articulus de bonis operibus sufficiēter nobis salutares Doctrinę Catholicę; atque impios ac perniciosos Doctrinæ Lutheranæ fructus exhibet, dum enim Catholici bona opera tanquam necessaria & meritoria vitę æternę vrgent, nemo inuenitur, cui salus æterna cordi est, qui non totis viribus bonum operari studeat, hinc flagrat timor atque honor Dei, hinc feruet dilectio proximi. Testantur hoc Templa in laudem Sanctissimę Triadis, honorem Beatissimę Virginis Mariæ, & aliorum Sanctorum à pijs Catholicis magnificentissimè instructa; monumenta & sepulchra, quibus cineres Sanctorum conduntur, sumptuosissimè ædificata, quorum vel vnũ Cracouię in Polonia in honorem S. Stanislai, Episcopi Cracouiensis erectum, ducētenis millibus florenorum æstimatur. Taceo hic vasa aurea & argentea Deo dicata. Taceo vestes sacras preciosas, & reliquum apparatum Ecclesiasticum; nihil dicā de Altaribus varijs ex purissimo argēto factis, vel aliâ preciosa materia artificiosissimè sculptis. Prætereo Capellas & aras ipsaque pauimenta marmorea: Baptisteria, & Ciboria Alabastrina, Candelabra argentea, & idgenus alia. Neque recitabo fundationes tot Monasteriorum & tot Cœnobiorum, in quibus Religiosi & Deo dicati homines ab huius mundi illecebris abstracti vni Deo, & cum suæ, tum & aliorum saluti seruiunt; aliaque innumera.

Sed dices hîc: Dei cultum nõ in externo isto splendore,

sed in

sed in corde consistere, Deus enim, qui Καρδιογνώστης est, non externa respicit, sed corda & renes scrutatur. Vt respondeam: Cur, oro te, in templo Salamonico Deus tantum illum apparatum & splendorem habere voluit? Verùm est, à Deo cor & interiora hominis introspici, tamen negari non potest, externum istum splendorem *primò* plurimum conferre ad excitandam & commouēdam internam cordis deuotionem. *Secundò*, hoc ipso testatum reddi nostrum erga Deum amorem, idque à nobis requiri, dum ait Saluator: *Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.* Præterea, quantum ex signis exterioribus internam cordis affectionē metiri licet testor, me certè inter Catholicos longè ardentiorem deuotionem, & feruentiorem nominis Diuini cultum, quàm inter Lutheranos deprehendisse. Videres ex locis remotis loca sacra à Catholicis magno cum desiderio, & magna frequentia visitari, homines continuò Sacris, Cōcionibus, pijs Processionibus interesse. Testis huius rei est mons Caluariæ, seu locus sacer in Polonia, planè formam Hierosolymę referens, qui à multis millibus hominum, ex remotissimis locis, tanta cum deuotione visitatur, vt vno die festo nonnuquam 15. nonnunquā viginti millia Christianorum sacra inibi Communione, refectorū numerētur. Testis alter Mons Częstochouiensis, vbi longè adhuc maior piorum frequentia. quid multa? Prouincia vna Catholica non reperitur, vbi non loca sint aliquot prodigijs diuinitùs insignita, quæ à conferta & innumera planè hominum multitudine frequentātur. Omitto hîc longum Religiosorum numerum, quorum diuersi Ordines, in diuersis virtutibus Christum imitantur, & vitam eius quantum in hac imperfectione licet perfectissimè exprimere student. Nullam hîc mentionem Sodalitiorum si-

ue Confraternitatum facio, in quibus diuersi cætus hominum piorum in Dei laudem & cælitum honorem congregātur, qui ieiunijs, voluntariâ corporis diuerberatione, Eleemosynis, precibus, vigilijs, alijsq; pijs afflictationibus *castigant corpus suum, & in seruitutem redigunt* Apostolum imitati. 1. Cor. 9. Horū nihil est apud Lutheranos, quibꝰ sine bonis operibus cælū occurrit, ideò Magistrū suum imitati, negligūt pias eiusmodi exercitationes: tēpla apud illos manu adhuc Catholicorū exstructa vetustate collabascūt, noua nūquam vel rarissimè fundātur. Altaria pulueribus obsita, suppellex modica, ornatus nullus. Ingressus Templa plurimis in locis nescies num ad aras, an haras venias; fenestrę passim excussæ, valuæ vel nullę vel fractæ: parietes canibus, felibus, imò porcis & porcellis peruij. Venti & procellę à parte ad partem templa peruagātur; neque ipsi Ministri coram altari, vel in suggestu sæpiùs, multo minùs auditores sese ab iniuria pluuiarum, niuium, & grādinis tueri possunt, quæ omnia oculatus testis lustraui, idq; in locis multis primarijs, vbi non vnus vel duo, tresué, sed decem interdum aut viginti, nonnunquā triginta Nobiles bene possessionati ad vnius templi cōseruationē & reparationem spectant. Quid causæ? *Omnes quæ sua sunt, quærunt: non quæ Iesu Christi.* Non ea mēs Orthodoxis Christi fidelibus: vnus Cracouiensis Episcopus IVO viginti & duo Templa, præter Monasteria, sumptuosissimè in Polonia fundauit. Vnus Petrus Dunin Nobilis indigena Poloniæ, regnāte Casimiro Iagellonidâ, sexaginta tēpla præter Monasteria sūptuosissimè erexit. Non commemorabo hic Ministros verbi Diuini, vel potiùs Lutherani, qui etiam in opulētissimis vrbibus & maritimis Ciuitatibus perpetua inopia, & inexplebili fame laborant, dum continuò de vitæ suę, vxorum,

liberorum

liberorum, Familię ſuſtentatione in publicis Concionibus conqueruntur; ſemper, & indeſinenter *date, date*, clamant. Nec mirum; vnus Superintendens in Liuonia meo tempore ex quarta vxore iam 24. prolem genuerat: E contra nunquam tales querelę & eiulatus in Catholicorum templis audiuntur. Et licèt multi inter Religioſos ſint qui meris Eleemoſynis eodem die quæſitis diem & vitam ducant, ſi quid ex victu reſiduum manſerit, in craſtinū non ſeruant, ſed inter alios pauperes diſtribuant, nunquam tamen penuriam ſentire vel egeſtatem accuſare audiuntur. Et hæc de amore erga Deum, & ſeruos eius.

Si iam oculos mentis ad dilectionem proximi conuertamus, non minùs in Catholicorum Eccleſia videbimus multos, qui tàm re, quàm opere proximum in paupertate ſubleuant, in ægritudine curant, in afflictione conſolantur. Huius rei teſtes ſunt tot Xenodochia, quæ ægrotos vndequaque venientes ſuſcipiunt, gratìs curam & operam adhibent, quantum humanâ induſtriâ fieri poteſt, morbos & ægritudines pellunt. Teſtantur idem hoſpitalia in commodum pauperum, & peregrinorum exſtructa, in quibus tot millia hominum hoſpitio excipiuntur: eſuriētibus cibus, ſitientibus potus, nudis operimēta, alijs alia neceſſaria ſubminiſtrantur. Ad vnicum Xenodochium ſanctiſſimę Trinitatis Romæ in dies nunc decem, nunc vndecim, nunc duodecim, & plura millia exterorum hominum confluūt, qui tam ſummi Pontificis ex ſua liberalitate mille coronatos in idem hoſpitale ſingulis diebus conferentis, quam Ciuium Romanorum impenſis triduo gratis aluntur, atq; hoſpitio excipiuntur; ab hora vigeſima vſq; ad ſextam noctis hoc eſt iuxta noſtras horas ab hora quarta pomeridiana vſq; ad 2. poſt mediam noctem producitur cœna, non eorundē, ſed diuerſorum: ſingulę enim menſæ dimidiata fermè hora

 abſol-

absoluuntur: simul autem & eodem tempore cibum capiũt in diuersis cænaculis adminimum duo millia. Pascuntur itaque istis 10. horis penè quadraginta millia, quibus primates ministrant, pedes abluunt, & omnia vitæ necessaria præstant, viris viri, mulieres separatim fæminis. atque in hisce ministris sunt Cardinales, Principes, Episcopi, Duces, Nobiles, & aliorum ordinum homines; omnia diuino quodam ordine atque dispositione.

Ostendant Lutherani horum aliquid simile, producant quidpiam quod parem habeat gustum, luceat etiam lux eorum coram Catholicis, vt videant illorum bona opera. Sed frustra ab illis hîc opera expeto, qui ea non esse ad salutem necessaria edocti sunt; & quomodo necessaria, si *sola fides* saluet? imò stultos illos iudicarem, si ieiunijs, abstinentijs, disciplinis, & alijs corporis coërcitionibus carnem suam macerarent, Eleemosynis & alijs sumptibus in honorem Dei faciendis, loculos exhaurirent, cum rei familiaris dispendio, & iactura proximo egenti subuenirent, siquidem his omnibus tanquam inutilibus & non necessarijs, nihil apud Deum mererentur, & quod maius est, si hoc ipso dum talia bona opera exercerent, mortaliter peccarẽt, prout Magister illorum expressè docet Tomo 2. folio 22. *Omnis homo peccat in omnibus bonis operibus;* & ibidem fol. 129 *Bonum opus quando perfectissimè absolutum est, peccatum veniale, secundum iustitiam autem est peccatum mortale.* Insaniunt certè Lutheranorum Ministri, dum bona opera à suis auditoribus exigunt, siquidem per hoc illos ad mortalia peccata, quæ Deus fieri sub amissione salutis æternę prohibuit, incitant & compellunt. Vident ergo miseri Lutherani, ad quæ absurda consequenter deueniant, dum Ducem cæ-

cum

eum cæci sequuntur, qui ipse iam olim consideratis perniciosis suæ doctrinę fructibus in Postilla Ihenæ excussa, conc. 2. Dominicę 1. Aduent. exclamat. *Mundus ex hac doctrina in dies deterior redditur. Iam homines septem Diabolis occupati sunt, cum antea ab vno tantùm obseßi fuerint; Diabolus iam turmatim inuadit homines; siquidem sub clarâ luce Euangelij deteriores, versutiores, fraudulentiores, crudeliores, impudentiores, audaciores sunt, quam antea sub Papatu fuerint.* verba Authentica recito. Es wirdt die welt auß dieser Lehr ie länger/ ie ärger. ietzt sindt die leute mitt sieben teuffeln beseßen/ da sie zuuor mitt einem teuffel beseßen wahren: der teuffel fehret ietzt mitt hauffen in die Leute/ das sie nun vnter dem hellen licht deß Euangelii sindt geitziger/ listiger/ fortheilischer/ vnbarmhertziger/ vnzuchtiger/ frácher vndt árger/ dann zuuor vnter dem Bapsthumb. Item in colloquijs Conuiuialibus: *Rustici planè effrenes fiunt per hoc Euangelium, dum quicquid libet sibi licere putant, nec metuunt infernum vel Purgatorium, dicentes: Credimus, propterea saluabimur.* Et Erasmus Roterodamus, qui non omninò alienus fuit à sententia Lutheri, in Epistola ad Vulturium Neocom: Anno 1529. data scribit: *Circumspice populum istum Euangelicum & obserua, num minus ab illis indulgeatur luxui, libidini, & pecuniæ, quã faciunt ij quos detestamini. Profer mihi, quem istud Euangelium ex commeßatore sobrium, ex feroce mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddidit verecundum; Ego multos tibi ostendam, qui facti sunt seipsis deteriores.* Hæc Erasmus. Ex *fructibus illorum cognoscetis eos.* Non absimilis mihi videtur Lutherus Scipioni Africano vel Neroni, qui dum hic quidem Romam, ille Carthaginem flammis subiecerant, illachrymasse & de pernicie tantarum Vrbium doluisse ferũtur. Pari ratione Lutherus dum infernalis suæ

Doctrinæ flammas Ecclesiæ Catholicæ subiecisset, tantũque flagitiorum incendium spectasset, non tàm seriò quàm serò, his & similibus lachrymis Crocodillinis, exitium, & æternam illorum, quos miserè deceperat, perniciem deplorauit.

Wo bleibt die bruderliche lieb?
Die gantze welt ist voller dieb.

Item.

Die Schätz der Kirchen sindt ihr gifft/
Sie sindt von ihnen nicht gestifft?
Noch nehmen sie das kirchen gutt/
Sich/ was der leidige geitz nicht thutt.

Ex fructibus ipsorum cognoscetis eos.

NONA RATIO:

PETITA EX

Sanctitate Eccles: Catholicę, & Vanitate Lutheranæ.

Quæcunq; Ecclesia tàm Doctrinæ quàm Doctorum & Auditorum sanctitate à multis claruit seculis, & adhuc hodie claret, illa est sancta & vera.

Atqui Catholica Romana à multis seculis, tàm doctrinæ, quàm Doctorum claruit sanctitate, & adhuc hodie claret,

Ergò Ecclesia Catholica Romana est sancta & vera.

Quemadmodum ê contrario.

Quæcunq; Ecclesia nunquam vel Doctrinæ vel personarum sanctitate floruit. illa est falsa & profana.

Atqui Lutherana nunquam vel Doctrinæ vel personarum sanctitate floruit.

Ergo est falsa & profana.

Ecclesia vera non solum est vna Catholica & Apostolica, sed etiam *sancta*, vt habet Symbolum commune Fidei. *Sancta* autem dicitur ratione *Doctrinæ, & Personarum.* Primò Doctrinam quod attinet, requiritur vt nihil falsum quoad fidem, nihil iniustum quoad mores, in ea contineatur. Vnde in *Ps.* 18. appellatur *Lex Domini immaculata, testimoniū fidele, Præceptum Domini lucidum.* Talem Doctrinę sanctitatem nullibi, præterquam in Ecclesia Catholica esse, vel ipsi aduersarij, etiam inuiti, fateri coguntur. Sic enim Lutherus in libro

in libro contra Anabaptistas, qui in odium Papæ reijciunt Baptismum paruulorum. *Nos*, inquit: *fatemur sub Papatu plurimum esse Boni Christiani, imò omne Bonum Christianum, atque etiam illinc ad nos deuenisse. Quippè fateamur necesse est in Papatu veram esse Scripturam, verum Baptisma, verum Sacramētum Altaris, veras claues ad remißionem peccatorum, verum prædicandi officium, verum Catechismum, vt sunt Oratio Dominica, decem Præcepta, articuli fidei. Dico insuper sub Papatu veram Christianitatem, imò verum nucleum charitatis seu Christianitatis esse*. Hucusque Lutherus; qui dum nobis nucleum veræ Christianitatis tribuit, certè sibi & suæ Ecclesiæ, præter corticem & putamina, nihil seruare potest, quod cum ex præcedentibus satis clarè constet, hic eandem crambem recoquere nolo. Paucis itaque hîc nobis de sanctitate personarum dicendum venit, vbi statim ab initio occurrunt primi Ecclesiæ Catholicę Antistites Apostoli & Euāgelistæ, quos sanctos fuisse, nemo vnquam dubitauit. Apostolorū Principi Sancto Petro successerunt triginta ordine ac duo Pontifices Romani, qui omnes Martyrium pro Christi fide passi sunt. Horum temporibus *Dionysius Areopagita, Stephanus Protomartyr, Laurentius, & alij Sancti plurimi* in Ecclesia Dei viguerunt. Quos subsecuti sunt: *Irenæus, Cyprianus, Origenes, Tertullianus*, alijque Doctores sancti, & miraculorum gloria clarissimi, quorum nomina referre longum nimis foret. Fuerunt deinde tot Religiosorum Ordinum Sancti inuentores: *Basilius, Benedictus, Augustinus, Bernardus*, alijq; plurimi pietate, castitate, sobrietate, & alijs virtutibus spiritualibus adeò conspicui, vt nihil in eis, quod carpere possent, etiam ipsi aduersarij inuenire potuerint, de quibus S. Augustinus libro 2. in Iulianum ait: *Isti sunt Episcopi & Pastores docti, graues, sancti, veritatis acerrimi defensores, qui*

Catholi-

Catholicam fidem in lacte suxerunt, in cibo sumpserunt, cuius lac & cibum paruis, magnisq; ministrarunt. Talibus post Apostolos sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus pastoribus, nutritoribus creuit. Addo quod ipsi Lutherani sanctū Augustinum, Patrum Deum, S. Bernardum pijssimum Monachum appellant. Imò ipse Lutherus Bernardum, Dominicum, Franciscum, sanctos fuisse testatur. *Cap. 2. lib. de capt: Babil.* De recentioribus, qui nostro seculo vixerunt, & ante non multos annos obierunt, si quæris? Habes Cardinalem *Borromæum, Franciscum de Paula, Ignatium Loiola, Franciscum Xauerium, Philippum Nerium, Stanislaum Kostka Polonum*, & alios multos, quorum sanctitatem Deus innumeris cōprobauit miraculis, quæ non sine maxima extremaq; impudentia & inuidia vel ab ipsis Lutheranis negari possunt. At omnes & singuli nostram fidem tenuerunt, imò plurimi eorum, inter quos Basilius, Augustinus, Franciscus, Bernardus, Dominicus, Anachoritæ & Monachi atque Religiosi fuerunt, quos tamen Lutherani diabolo peius detestantur, à Magistro suo edocti, qui se potiùs latronem, quàm Monachum esse velle profitetur. Producant Lutherani suos quoque sanctos, ostendant vel vnicum ex Ecclesia suâ, quem æternę gehennę tormēta euasisse constet; & sanctè promitto me statim ad ipsorum fidem & Ecclesiam postliminiò reuersurum: Ego verò cum vniuersa Ecclesia Catholica, tàm Lutherum quàm omnes, qui in ipsius fide mortui sunt, inferno adiudicatos, & non minùs, quàm Iudam proditorem, aut Cainum fratricidam, aut Simonem Magum, aut Cherintum, æternùm periisse credo. Extra enim veram Ecclesiam, nulla salus; sed *quicunq; vult saluus esse, antè omnia opus est, vt teneat Catholicam Fidem, quam nisi quis integram inuiolatamq; seruauerit, sine dubio in æternum*

 peribit

peribit. verba sunt è Symbolo *S. Athanasij.* Et quemadmodum extra Arcam Noë (quo simili S. Augustinus vtitur) nemo seruatus; sed omnes diluuio consumpti fuerunt; sic extra Arcam Christi, videlicet Ecclesiam Catholicam nemo saluabitur, sed omnes citra dubium æternæ damnationis fluctibus obruentur. Lutherus quidem ipse (vt ex suprà allegatis patet) de se testatur, quod sit Apostolus, Euangelista, Propheta, æquè sanctus ac Apostolus Paulus; quod idem sibi plurimi ex Lutheranis qui flagitia ipsius vel ignorant, vel dissimulant, persuasum habent. Sed quo autore isti ego & istis credam? facta certè aliud probant. Quodsi mihi dixeris eum *pium & relligiosum fuisse*: Cur sustulit omnia pia & bona opera, cur ea tanquam mortalia peccata euitare iubet? Si *humilem corde* appellaueris, ecce reclamat superbia, quà se Apostolis, & Sanctis omnibus confert, quâ Summum Pontificem, Reges Cardinales, Principes, Duces indignos iudicat, qui soluant ipsius corrigiam calceamẽti, qua se non magni facere mille Cyprianos, & mille Augustinos (*in libro contra Regem Angliæ*) iactat. Si vocaueris *temperantem & sobrium*, quare explosit ieiunia & abstinentiam? strenuum potiùs potatorem & commodum conuiuatorem eum arguunt Colloquia conuiualia plurimis in locis, testatur idem vitrum illud grande, quod tanquam poculum Iouis in Hammone Wittembergæ reliquiarum loco asseruatur in memoriam D. Lutheri, qui illud vino repletum toties expeditissimè exhaurire solitus fuit. *Si continentem nominaueris & pudicum*, cur tantoperè Cœlibatum sacerdotum damnauit, & ipse extremè lasciuus Monialem Deo dicatam, sacrilego sibi iunxit matrimonio? Hîc sexcenta testimonia lasciuiam & petulantiam eius plusquam belluinam declarantia ex scriptis eius adducere possem, nisi

honestas

honestis & pudicis auribus potiùs parcere vellem: qui ea legere cupit, videat *Colloquia* ipsius *conuiualia. folio* 311. *fol.* 323 *fol.* 333. *& in primis Tomo.* 2. *fol.* 26. *anni* 22. *eodem Tomo, fol.* 90. 152. *Tomo* 3. *fol.* 140. 150. 151. 175. *Tomo* 4. *fol.* 462. *& passim per omnes Tomos.*

Si mitem & mansuetum dixeris, reclamat animus impatientissimus suiq; impotens, quem ostendunt scōmata, conuicia, sarcasmi, quos in omnes ferè Principes, Reges, Duces Christianos, præcipue verò in Summum Pontificem Leonem X. Regem Angliæ Henricum, Ducem Saxoniæ Georgium, in Ducem Brunsuicensem Henricum, in Cardinalem & Electorem Moguntinum Albertum acerbissimè effudit, vt aperte constat ex libro dicto Hans Wurst, & scriptis contra Regem Angliæ. &c. ipse titulus proximè dicti libri quantam sanctimoniam spirat?

Si modestum & alienum ab arrogantia probare niteris: prodet se spiritus ambitionis & pertinaciæ plenissimus, dum se Doctorem Doctorum, Prophetam, Apostolum & Euangelistam, nominare non erubescit: Omnes alios simpliciter (vt ipsius verbis vtar) præ se contemnit. Suam & Philippi opinionem centum & mille Concilijs præfert. Quam insolentiam & effrenatam ambitionem neque ipsi Lutherani ferre possunt; sic enim Tigurini Ministri in responsione ad librum quartum, quem Lutherus contra Zuinglium scripserat, aiunt: *Apostoli gloriæ Dei, non priuato honori, nec suæ pertinaciæ & superbiæ studebant; Lutherus autem sua quærit, pertinax est, insolentia nimia effertur, & in omnibus correptionibus suis plurimum maligni spiritus, quam minimum verò amici & paterni animi habere deprehenditur.* Pulchrum sanè Encomion Magistro à discipulis datum! si denique *fortem & constantem* nuncupaueris, cōtrarium planè ex scriptis eius colliges,

vbi quauis arundine mobiliorem reperies, quemadmodũ in Ratione septima ex allegatis contradictionibus & implicantijs patet: Nec excusatur per hoc, quod Lutherani dicunt, eum statim in principio non satis fortem in spiritu fuisse, postea verò animum istum heroicum sumpsisse, nec vlteriùs in fidei articulis vacillasse; siquidem ipse hunc prętextum eludere videtur dum ait Tomo 2. Ien. fol. 247. *Se in fidei articulis, neq; priori triennio, neq; vnquam postea vacillasse, sed constantem & vniformem semper in scriptis fuisse*: & Tomo 2. fol. 30. ita scribit. *Hic est certè diabolus, qui occultè & fraudulenter irrepit, & deinde se excusat, quod non satis fortis in spiritu fuerit. Imò ita Spiritus Dei se non excusat.* Et pergit. *Mi diabole benè te noui. Nunquam enim diabolus melius quam in dissensionibus & contradictionibus fidei: Spiritus verò Dei in veritate cognoscitur.* Hæc de virtutibus Lutheri. Pari sanctitate omnes eius Discipuli & Ministri vestiti sunt, inter quos pietas, quæ Deo placeret, cùm extra veram Ecclesiam, & absque veris Sacramentis viuant, nullo modo reperiri potest: *Superbia* verò, & vana ostentatio regnant, dum peruersum potiùs iudicium & cœcam voluntatẽ sequi malunt, quàm vniuersæ Ecclesiæ adhærere. Nam indubitatæ veritatis est, omnem Hæreticum superbum esse, ex mente & sententia Diui Augustini libro de Pastoribus, Cap. octauo. *Diuersis locis sunt diuersæ hæreses, sed vna Mater Superbia genuit omnes, sicut vna Mater nostra Catholica omnes Christianos fideles toto orbe diffusos &c.*

Præterea Gulę & Intemperantię, cùm omni abstinentia careant, & ieiunia commenta Papistica appellent, quàm maximè deseruiunt. Castimoniã porro vel Continentiã obseruare piaculi instar habeãt: quare simul ac de ministerio cogitant vel Parochia, vt plurimum etiam statim de vxore,

sine

Vita...

Insuper quo... tores videbis. qu... quam de... in suos deest, vel vbi Postillas minùs diligenter euol... in Catholicos inuehuntur, Papam, Papistas, Iesuitas, ... nachos assumunt, eosque per omnia prædicamenta con... uiciando & calumniando trahunt: quicquid scommatum, conuiciorum, & sarcasmorum, in Catholicam Ecclesiã domi excogitare potuerunt, in Cõcionibus publicè effundunt, adeò vt si interdum calumnias & sannas ex Concione tollas maneat nihil ex illa cõcione seu maledica potiùs declamatione tandem quàm sint leues & inconstantes in Doctrina fidei, cùm ex Ratione Septima dilucidè pateat, hîc non repeto.

DECIMA RATIO.

PETITA EX

MIRACVLIS.

...ctrina multis & euidentißimis miraculis à Deo comprobata & confirmata est, illa est vera

...trina Ecclesiæ Catholicæ innumeris & euidentißimis miraculis à Deo comprobata & confirmata est.

Ergò Doctrina Ecclesiæ Catholicæ est vera.

Quemadmodum è contrario.

Doctrina nullo miraculo vel euidenti signo à Deo comprobata & confirmata, falsa est.

Doctrina Ecclesiæ Lutheranæ nullo euidenti signo & miraculo à Deo comprobata est.

Ergo Doctrina Ecclesiæ Lutheranæ est falsa.

Miracula ad comprobandam Ecclesię veritatem esse necessaria suprà in Ratione Sexta probauimus, præsertim si author alicuius Ecclesię noua & insolita dogmata proposuerit, seque extraordinariè à Deo missum esse dixerit. Sic enim ipse Saluator noster (vt Moysen cum Prophetis taceamus) de incredulis Iudæis *Ioannis* 10. loquitur: *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*: & in alio loco ad eosdem: *Si non vultis mihi credere, credite ...ribus meis quæ inter vos facio.* Idem patet de Apostolis, ... licèt nihil noui adferrent, sed Euãgelium de IESV Christo tot miraculis iam comprobatum prædicarent: tamen

propter